

APPENDICI

1. Tre testimoni di una rielaborazione del *Tractatus primus*

1.1 Città del Vaticano, Biblioteca Apostolica Vaticana, ms. Vat. lat. 2148

c. 46ra (marg. sup.) G. Burlei V Quaestiones de quolibet

Questio prima nostri quolibet est utrum in virtute propria qualitas producat substantiam.

Et arguitur ad partem quam puto esse veram: quod¹ producat seu quod possit producere.

Prima ratio: illud quod potest per se omni alio circumscripto inducere suam formam et sine eo non potest aliquod accidens inducere eandem, potest in virtute propria illam formam inducere sive producere; sed calor potest per se omni alio circumscripto per quod habet rationem principii activi inducere formam substantialem ignis; et forma substantialis ignis non potest inducere formam substantialem ignis sine calore; ergo calor in virtute propria potest inducere formam substantialem ignis; ergo qualitas in virtute propria potest producere formam substantialem. Maior est nota et minor² probatur quantum ad utramque partem. Probo primo quod calor per se circumscripto quocumque alio principio activo intrinseco potest inducere formam substantialem ignis, et hoc sic: illud quod potest inducere dispositionem necessitantem ad formam substantialem ignis potest inducere formam substantialem ignis; calor est huiusmodi; ergo. Maior patet, quia quod per se potest in antecedens per se potest³ in consequens quod necessario sequitur ad illud antecedens. Minor probatur, quia calor per se potest talem facere, et summus calor summe calefacere; summa autem calefactio, cum sit summa dispositio ad formam substantialem ignis⁴, necessitat materiam ad formam ignis. Alia pars minoris patet, quia si ponatur

1 Ms. add. non

2 Ms. add. et del. patet

3 Ms. add. et del. ignis

4 Ms. add. summa autem dispositio ad formam ignis

forma substantialis ignis sine caliditate, nullo modo producet ignem in aliquam materiam; quod patet, quia nullo modo disponetur ad formam ignis.

Huic rationi respondet dominus cancellarius <Londoniensis>⁵ quod calor in virtute propria non potest in aliquam dispositionem necessitantem ad formam ignis, quia nulla dispositio precedens formam substantialem necessitat. Et aliter melius responderem isti rationi unde summa caliditas inducitur in instanti introductionis forme ignis et non ultra ante, unde due sunt dispositiones: una precedens, alia postrema, que simul introducitur cum forma ignis; et inter istas duas dispositiones est tempus medium in quo non est materia sub forma ignis; et ideo nulla dispositio necessitat ad formam ignis, ex quo illa non statim introducitur forme ignis; ymmo per tempus medium est materia sub privatione // c. 46rb // forme ignis.

Et si dicatur quod calor in virtute propria potest inducere calorem impossibilem forme aque, et per consequens inducetur aliam formam substantialem in materia aque quam sit forma aque; respondet iste doctor quod calor non potest inducere calorem impossibilem forme aque, quoniam calor aque impossibilis forme aque introducitur simul cum forma ignis; et per consequens cum calore possibili cum forma ignis etiam introducitur ab isto eodem a quo introducitur forma substantialis ignis, per modum tamen sequele, quia ad formam substantialem ignis consequitur simul calor, et talis calor est impossibilis forme aque.

Et si dicatur quod calor in virtute propria potest infinitum calorem; respondetur quod non, quia talis calor non introducitur nisi per modum sequele ad formam substantialem ignis quando introducitur forma ignis.

Sed ista non sufficiunt, ut mihi videtur. Tamen bene verum est quod dicit magister meus, quod non est aliquis calor inductus ante introductionem forme ignis necessitantis ad formam ignis, neque super hoc fundatur ratio. Sed tota virtus huius rationis consistit super hoc, quod calor in virtute propria potest in totam alterationem precedentem formam substantialem ignis. In hoc conveniunt quasi omnes doctores, quod calor in virtute propria potest calefacere et respectu istius talis actionis est aliquod principale, quamvis sit agens instrumentale respectu introductionis forme ignis. Et hoc patet per Philosophum

5 Ms.: et landidum

etiam expressius per Commentatorem secundo *De generatione*⁶ capitulo de agere et pati; et dicunt quod si esset calor separatus a materia ageret et non pateretur. Hoc patet secundum fidem catholicam: manifestum est ita quod ostia consecrata dicitur calida quod calefaceret, et non calefaceret in virtute forme substantialis, ut certum <est>. Ex illo supposito arguo sic: illud quod in propria virtute circumscripto omni activo circa eandem materiam potest in totam alterationem precedentem introductionem forme substantialis, illud in virtute propria circumscripto omni alio activo potest inducere formam substantialem; sed calor est huiusmodi; ergo etc.

Hic non est responsio nisi negando maiorem vel minorem. Si negatur maior, probo eam. Primo, quia si calor posset in totam alterationem precedentem et non in terminum, // c. 46va // cum Deus posset suspendere actionem cuiuslibet agentis, sequitur quod terminus alterationis non introduceretur in materia, quia nec ab agente principali nec ab aliquo alio agente, ut supponitur. Hoc autem est falsum, quia sequitur quod calor alterans materiam efficeret alterationem infinitam, quod est impossibile. Probo, quia efficit eam interminatam.

Secundo probo idem sic: nam Commentator sexto *Physicorum* dicit quod transmutationes sunt per se duobus modis, nam quedam est cuius finis est de genere⁷ transmutationis, et quedam alia est que est de genere alio quam sit finis suus, sicut transmutatio composita ex transmutatione in substantia et transmutatione in quale; et hec transmutatio est cuius finis est diversus ab ipsa, quoniam eius finis est forma substantialis et per consequens generatio. Ex illo arguo sic: illud quod potest in transmutationem compositam ex transmutatione in qualitate et transmutatione in substantia potest inducere formam substantialem, quia quod potest in totum potest in quamlibet eius partem; sed illud quod potest in totam alterationem <precedentem> inductionem forme substantialis potest in transmutationem compositam; ergo etc. Maior patet; minor probatur sic: illa transmutatio composita ex transmutatione in qualitate est eadem omnino cum alteratione precedente inductionem forme substantialis; ergo quod potest in unam potest in alteram. Consequentia tenet; probo antecedens: nam quidquid est pars unius transmutationis est pars alterius; similiter quidquid est

6 Ms. add. et del. peratus a materia ageret

7 Ms. add. et del. alio quam sit finis suus f

terminus unius est terminus alterius, quia tota alteratio precedens formam substantialem terminatur circa productionem forme substantialis, ut patet cuilibet intuenti; igitur sunt eadem transmutatio, cum nulla includat aliud per quod possit ab altera distingui.

Tertio, probatur maior sic: per Commentatorem septimo *Metaphysice* dicentem quod est idem quod transmutatur et disponit materiam et inducit formam substantialem; sed causa effectiva totius alterationis precedentis transmutat et disponit materiam; igitur formam inducit; nec est aliud efficiens alterationem antecedentem nisi qualitas ut calor vel frigiditas; ergo⁸ qualitas inducit formam substantialem, ut patet in inductione anime intellective. Illud non valet, quoniam intellectus non est terminus alterationis precedentis, sed aliqua forma deducta de potentia materie; unde intellectus non est forma deducta // c. 46vb // de potentia materie, sed est de foris adveniens.

Si autem dicatur ad rationem negando minorem, dicendo quod calor in virtute propria non potest alterationem inducere precedentem inductionem forme substantialis; contra: quia calor in virtute propria <potest> in aliquam partem alterationis precedentem inductionem forme substantialis; si igitur non potest in tota, igitur est dare partem in qua calor potest in virtute propria et aliquam in quam in virtute propria non potest; et per consequens actio quam habet in virtute propria terminabitur usque ad ultimum alterationis totius; sed⁹ inter ultimum quo terminatur actio caloris quam habet in virtute propria et ultimum totius alterationis est tempus medium, in quo aqua alteratur et calefit et <in> illo medio¹⁰ non agit calor in virtute propria. Tamen si erit forma in toto illo tempore adhuc ut forma fit in materia, sequitur quod forma ignis non potest in virtute propria in totum calorem compossibilem forme aque, quod videtur impossibile.

Item, ponatur quod Deus faceret corpus de genere qualitatis esse separatum a substantia, et per consequens a materia et forma, et faceret illud subiectum eque calidum sicut ignis. Tunc arguo sic: quecumque aliqua duo sunt eque calida, si unum potest in aliquem effectum caliditatis, et aliud similiter; ergo cum

8 *Ms. add.* etc.

9 *Ms. add.* ultimum

10 *Ms.:* intermedio

ignis et corpus de genere qualitatis separatus ex casu a materia et forma sunt eque calida, sicut si ignis poneretur in totam alterationem precedentem forme substantialis, similiter corpus quod est de genere qualitatis quod est eque calidum sicut ignis; sed ignis potest secundum adversarium que abluit <operationem>¹¹ composito et non forme; igitur et corpus de genere qualitatis et qualitas poterit. Sed cum <virtus>¹² in tali corpore non sit nisi quantitas et qualitas, et qualitas non sit nisi virtus activa, ut vult Averroys quarto *Physicorum*, sequitur quod ipsa caliditas sit illa que inducit ipsam caliditatem; ergo etc., puta calor. Et virtus activa, ut patet secundo *Celi*¹³, terminatur seu perfectio virtutis active et operatio sua terminatur ad maximum in quod potest calor ignis; sed per quod determinatur perfectio sue virtutis vel est forma substantialis ignis, et sic haberem <propositum>¹⁴ principalem, quod qualitas in virtute propria producat substantiam; aut est aliquis calor¹⁵ citra inductionem forme substantialis, et sic aut ille comprehendit totam alterationem precedentem inductionem forme, et sic propositum; aut secundum partem eius, tunc quero quid inducat aliquam partem non nisi compositum scilicet ignis; ergo erit dicere quod una pars alterationis que fit a qualitate alia fit a toto composito, quod est impossibile. // c. 47ra //

Secunda ratio principalis: illud quod in unoquoque subiecto posito semper producit unam formam, producit istam in virtute propria; sed calor cum aliis accidentibus consequentibus formam substantialem in quocumque subiecto ponatur semper producit ignem; igitur calor in virtute potest producere ignem. Maior est nota, quia non quodlibet fit ex quolibet, sed determinatum ex determinato; forma ergo ignis non potest produci in diversis a qualibet forma substantiali; igitur oportet productionem forme substantialis attribuere illi qualitati que reperitur in diversis substantiis producentibus formam substantialem ignis; aliter quodlibet ex quolibet fieret, quod est falsum primo *Physicorum*. Et sic patent maior et minor. Et quia in quocumque subiecto ponatur calor in gradu in quo est conveniens igni et ponatur cum accidentibus aliis convenientibus igni, semper, si approximetur sibi materia disposita, generabit ignem.

11 Ms.: oppositionem

12 Ms.: multus

13 Ms. *add.* virtus activa

14 Ms.: propositionem

15 Ms. *add.* inductionem

Tertia ratio principalis: illud quod includit aliquam formam¹⁶, et non sicut instrumentum, inducit illam in propria virtute; sed calor inducit formam substantialem ignis non sicut agens instrumentale; ergo etc. Maior patet; sed minor probatur: nam instrumentum a quocumque moto non inducit idem et determinate aliquam rem, sed motum ab uno producit aliquid unum et motum ab alio producit aliud; sed calor conveniens igni a quocumque subiecto moveatur semper producit determinatum effectum, scilicet ignem; ergo non est sicut instrumentum, sed agens principale.

Item, si calor induceret ignem sicut agens instrumentale, et per consequens subiectum in quo fundatur sicut agens instrumentale, sequitur quod aqua in qua¹⁷ potest fundari ille calor erit agens principale producens ignem, quod est impossibile; nam quarto *Metaphysice*: idem non est causa contrariorum. Consequentia <patet>¹⁸ sed ex quo per te calor existens in¹⁹ aqua non producit ignem, sed tantum ipsa aqua in qua²⁰ est calor.

Quarta ratio principalis: illud quod potest in virtute propria in corruptionem alicuius substantie, virtute propria <etiam>²¹ in generationem alicuius; sed calor in virtute propria potest corrumpere aquam, ergo summus calor potest inducere calorem impossibilem forme aque; et per consequens in virtute propria potest corrumpere aquam; ergo in virtute propria potest producere aliam substantiam, cum corruptio unius sit generatio alterius.

Secundo probo specialiter quod calor in semine potest producere animam sensitivam, nec oportet ponere alterum datorem formarum nec celum nec intelligentiam nec Deum nec ydola. Probatur hic hoc dupliciter. Primo, // c. 47rb // sic: corrupto generante a quo fuit decisum semen producit anima sensitiva. Quero a quo producat effectus: non ab illo in quo fuit semen, cum sit corruptum; non est immediatum materie in qua producit anima, immo potest quasi per infinitam distantiam; nec a forma substantiali seminis, quia illa est imperfectior suo effectui; ergo oportet quod producat a forma animali,

16 Ms. add. et

17 Ms.: aqua

18 Ms.: sed

19 Ms. add. et del. alia

20 Ms.: aqua

21 Ms.: vel

ut puta a spiritu seu a calore ignito²² deciso a patre derelicto in semine. Et si dicatur quod ille calor existens in semine non generat animam sensitivam in virtute propria sed in virtute generantis, istud enim non valet, cum generans sit corruptum, quia ponatur ex casu quod proiecto semine in materia statim corrumpatur generans, scilicet Sor; modo inconueniens est dicere quod non omne sit generans et efficiens aliquid; nec nam si dicatur quod generatur a celo ista materia quia celum ponitur tantum esse causa universalis et non particularis; unde si ponatur causa particularis, ageret ultra suam speciem, quod falsum est septimo *Metaphysice*. Probo quod celum est inanimatum et per te producit animatum. Nec potest dici quod producat a Deo vel ab aliqua intelligentia, cum sint tantum cause universales. Item, quia ut sic esset dare datores formarum, quod est contra Aristotelem. Item, quia non possunt hoc facere nisi imprimendo virtutem generativam in medio, et per consequens aer et ignis et alia media haberent virtutem generandi aliquod animatum, quod est falsum.

Secunda ratio est ad eandem conclusionem: illa que in quocumque subiecto reperiuntur producunt formam sensitivam in virtute propria; sed dispositiones accidentales que sunt in semine sunt huiusmodi; ergo etc. Maior est nota et minor probatur per experimentum; manifestum est enim quod ovum per se non producit pullum, sed per extrinsecum animantem et excitantem calorem intrinsecum; modo pullus potest produci a calore proportionato extrinseco in quocumque subiecto reperiatur, nam pullus anseris generatur ex ovo anseris per calorem galline, sicut etiam per calorem anseris; ergo <forma>²³ substantialis pulli non est forma substantialis, cum possit fieri a carne proportio cuiuscumque substantie materialis. Manifestum est quod cum forma anseris producat a gallina sedente super ovum, quod ista forma anseris non est a forma galline, quia nihil producit ultra suam speciem, nec a forma substantiali anseris, cum illa non sit forma anseris; // c. 47va // ergo relinquitur quod a carne; ergo etc.

Et potest ratio adduci²⁴ secunda ad primam²⁵ conclusionem. Adhuc potest probari conclusio principalis, scilicet quod forma accidentalis possit in virtute propria formam substantialem producere per auctoritatem. Primo per Philo-

22 Ms.: gignito

23 Ms.: substantia

24 Ms. *add. et del.* contra

25 Ms. *add. et del.* rationem

sophum in libro *De sensu et sensato*; et dicit quod ignis non agit in quantum ignis sed in quantum calidus, quod non esset forma substantialis, et²⁶ qualitas produceret formam substantialem sicut principale agens, quoniam tunc ignis ageret <non> in quantum ignis <sed>²⁷ in quantum calidus.

Item, Commentator <12^o,²⁸ *Metaphysice* commento 19^o dicit quod virtutes que sunt in sensibus que faciunt animata non sunt animata in actu sed in potentia, sicut domus que est in anima domificatoris est domus in potentia et non in actu. Et parum post subdit et scientia non habet dici animata in potentia nisi per carnem, et est in eis quoniam calor existens in²⁹ semine est principale productivum anime sensitive. In eodem commento dicit quod ignis qui facit alium ignem sibi similem ex calore gravi etc.; et subdit est sic dictum in libro *Peryermeneias* quod in igne non est virtus agens nisi calor. Item, septimo *Metaphysice* capitulo nono dicit «videtur mihi quod elementa non agant nec patiantur nisi per qualitates et non per formas substantiales». Item, in eodem commento dicit quod forme substantiales materiales non sunt active nec passive, sed active et passive sunt prime qualitates.

In oppositum arguitur primo auctoritate Philosophi septimo *Metaphysice*, ubi dicit quod substantia non fit nisi a substantia. Item, in eodem septimo dicit quod omne quod generatur a sibi simili secundum speciem generatur³⁰, et hoc per se, licet³¹ per accidens aliquando generatur, tamen a simili secundum genus; sed si qualitas esset principale agens et non substantia, hoc non esset verum quod generatio fieret a sibi simili secundum speciem vel secundum genus. Item, secundo *De anima* dicit quod unumquodque tunc est perfectum cum potest sibi secundum speciem similem generare. Item, in eodem secundo dicit quod calor est quid instrumentum³² anime sensitive; sed certum est quod instrumentum non producit effectum primum, quia tunc non esset instrumentum sed agens principale; ergo calor in virtute propria non potest; ergo etc.

26 Ms. add. non

27 Ms.: quam

28 Ms.: 2 alia manus correxit in 9

29 Ms. add. et del. anima

30 Ms. add. et del. tamen a simili secundum genus

31 Ms. add. et del. vel

32 Ms. super lin. intrinsecum alias instrumentum sup. lin.; in textu: intrinsecum

Item, arguitur per rationes, quoniam agens naturale debet continere effectum virtualiter; sed accidens non continet substantiam virtualiter perfectam; ergo.

Secundo confirmatur per Avicennam: si minus perfectum produceret magis perfectum sequeretur etiam quod illud in quo effectus excedit causam productivam non esset productus; // c. 47vb // hoc est falsum. Consequentia probatur ex quo effectus in isto excedit causam.

Tertio sic: nihil agit ultra suam speciem; sed substantia est ultra speciem accidentis; ergo accidens non producit nec agit substantiam.

Quarto: sequitur quod omnis generatio substantie esset equivoca; hoc est falsum saltem <in> substantiis perfectis. Probatur consequentia, quia quomodo principium productivum differt specie a <termino>³³ producto ab ipso, tunc generatio est equivoca; sed ita est quod accidens et substantia differunt genere, et per consequens etiam specie, quia que differunt genere differunt etiam specie.

Item, sic: quia aut produceret substantiam productione <univoca>³⁴ aut productione equivoca. Non univoca, quoniam producens et productus differunt specie; nec equivoca, quia in productione equivoca producens est nobilior et perfectior producto, sicut patet de hiis qui³⁵ generantur ex putrefactione. Celum est causa producens equivoca, et tamen est perfectior ipsis animalibus³⁶, ita generans; sed agens non est perfectior substantia; igitur etc.

Sexto: si imperfectum posset producere perfectum, sequitur quod <inter> principium effectivum ex summa caliditate et effectum non posset argui imperfectionem eius; unde ex hoc quod aliquid produceret effectum nobiliorem non posset concludi esse perfectior alio producente effectum minus perfectum; hoc est falsum. Consequentia tenet ex quo per te imperfectum aut accidens potest producere perfectum ut substantiam.

Septimo: si solus calor sit principium effectivum principale forme ignis, tamen, cum sit dare aquam calidior flamma, sequitur quod aqua fervens posset producere ignem; quod falsum est. Et consequentia patet.

33 Ms.: accidentis

34 Ms. *add. et del.* differunt specie nec univocum

35 Ms.: aliqui

36 Ms. *add. et del.* producere perfectum sequitur quod principium effecta

Octavo: illud quod in agendo non³⁷ attingit materiam primam non potest in virtute sua³⁸ formam producere, quoniam forma substantialis est actus prime materie et recipere in ipsa prima materia et non in materia appropriata seu subiecto in actu, sed in subiecto quod est in pura potentia; sed calor in agendo non attingit materiam primam, cum sit actus, et actio agentis non sit etiam nisi erit in actu ut circa totum compositum et circa primam materiam; unde subiectum alterationis et terminus motus est subiectum in actu et non prima materia, ut patet primo *De generatione*.

Nono: unum agens presupponens substantiam in agendo presupponit differentiam oppositam in qua sua actio recipiatur et non supponit corruptionem, nec per consequens corrumpit; ergo non corrumpit substantiam compositam; corrumperet autem // c. 48ra // eam si posset formam substantialem inducere.

Decimo: ubicumque est ordo accidentalis in agentibus, oportet dare extra illum ordinem aliquid quod sit causa illius multitudinis; sed inter istum calorem et generationem et calorem genitum est ordo accidentalis; ergo extra istum ordinem est dare aliquid quod est causa istius totius multitudinis. Cum igitur in causis substantialibus³⁹ non <est> processus in infinitum, erit dare aliquam causam⁴⁰ multitudinis accidentalis et non essentialis, ut recitat Averroys septimo *Metaphysice*, sequitur quod extra istum ordinem erit aliquid quod erit causa istius ordinis etc.

Item, undecimo: subiectum est respectu proprie passionis causa efficiens; cum inter subiectum et propriam passionem non sit medium, sequitur quod subiectum sit causa immediata efficiens⁴¹ proprie passionis; sed sic; ergo propria passio non est principium productivum sui subiecti, et per consequens nec forme substantialis. Quod autem subiectum <sit>⁴² causa efficiens⁴³ respectu proprie passionis apparet, quoniam non se habet solum in genere cause materialis respectu proprie passionis, quia si hoc esset, cum omnis potentia passiva sit ratio contradictionis, ut patet nono *Metaphysice*, sequitur quod subiectum

37 Ms. add. et del. contingit

38 Ms.: substantiali

39 Ms. add. seu accidentalibus

40 Ms. add. que erit dare causam

41 Ms. add. et del. cum inter subiectum et propriam passionem

42 Ms. add. se habeat respectu

43 Ms.: cause efficientis

derelinqueret propriam passionem, quod est inconueniens; igitur subiectum etiam se habet in alio genere partim in genere cause; sed non potest se habere in genere cause formalis, quia forma est principium intrinsecum eius cuius est et de quidditate sua; sed subiectum non <est> intrinsecum passionis; ergo nec se habet in subiectum, quia subiectum non est posterius sua passione, immo prius, secundum naturam; ergo relinquitur quod subiectum sit etiam causa effectiva proprie passionis.

Duodecimo: in generatione mixti ex elementis oportet dare aliquod principium effectivum forme mixti; ergo non solum qualitas est principium productivum substantie.

Decimotertio: forme eiusdem speciei active possunt in eundem effectum secundum speciem; sed calor elementaris et calor animalis sunt eiusdem speciei, ut tractabitur per membra in una questione, quia si calor elementaris, ut puta calor ignis, potest producere formam substantialem ignis, sequitur quod calor animalis possit producere eodem modo.

Ad primum istorum, videlicet ad auctoritates, respondeo premittendo duplicem distinctionem. Prima est quod productiv<um>⁴⁴ vel generans est duplex, scilicet quod et quo. Producens seu efficiens quod est illud quod includit in se principium, ut verbi gratia calidum est // c. 48rb // principium productivum quod, quoniam concretum includit in se subiectum et formam accidentalem; et ideo includit in se formam et caliditatem que dicitur principium quo. Sed principium productivum quo dicitur esse illud quod contingens ab illo, scilicet productivo, sicut est calor seu caliditas, quod idem est.

Secunda est quod tam principium productivum quod quam principium productivum quo est duplex, scilicet principium productivum determinat<iv>-um seu determinans, et principium productivum transmutat<iv>-um seu transmutans. Illud enim quod determinat principium effectivum <ut>⁴⁵ aliquid sit vel aliquid non sit agendum dicitur principium effectivum determinat<iv>-um, ut voluntarium et similia, scilicet dicitur principium effectivum determinat<iv>-um quod determinans, quia determinat ipsum transmutans ad agendum

44 Ms.: productiva

45 Ms.: vel

⟨ut⟩⁴⁶ aliquid sit vel aliquid non sit agendum, ut patet secundo *Physicorum* ⟨et⟩ septimo *Metaphysice*; et in naturalibus applicans activa passivis dicitur efficiens determinans, cum sit solum applicans ad transmutand⟨um⟩⁴⁷, applicando ipsum ipsi transmutabili. Dicerem igitur productivum quod transmutans in naturalibus est totum aggregatum ex substantia et qualitate est principium quod; ipsa sola qualitas est principium productivum quo, verbi gratia⁴⁸ calidus; et ipsum aggregatum ex calore et igne est productivum quod transmutans; substantia vero ipsa composita ex materia et forma substantiali, que est subiectum qualitatis active, est principium productivum⁴⁹ determinans quod, quia determinat qualitatem activam forme substantialis ad certum gradum seu ad certam latitudinem graduum. Nam calor in aliquo gradu consequitur mixtum animatum et in alio mixtum inanimatum et in alio et alio gradu ⟨con⟩sequitur aliud et aliud mixtum animatum eiusdem speciei; ita substantia composita ex materia et forma substantiali et ipsum subiectum seu congregatum ex substantiali forma et materia determinat et mensurat qualitates activas, et sic est efficiens quod determinans, non autem quod transmutans, ⟨scilicet⟩⁵⁰ subiectum quale et totum aggregatum ex substantia et composita qualitate. Eodem modo distinguendo de principio productivo quo⁵¹, quia tale duplex est, scilicet productivum quo determinans et quo transmutans. Forma substantialis est productivum quo determinans et quo transmutans; forma substantialis est productivum quo determinans, quia determinat qualitatem ad certum gradum; qualitas vero altera, ut calor, est productivum quo transmutans. Dico igitur ad auctoritates quod sola qualitas in genere est // c. 48va // productivum quo transmutans, sed forma substantialis est principium productivum quo determinans. Dico etiam quod totum aggregatum ex substantia composita ex materia et forma et ipsa qualitate activa est principium productivum quod transmutans, tamen substantia ipsa composita sine qualitate est principium quo determinans.

Ad primam igitur auctoritatem dicitur quod substantia non fit a subiecto in actu tamquam a principio productivo quod transmutante, sed fit a substantia

46 Ms.: vel

47 Ms.: transmutando

48 Ms. *add.* ignis

49 Ms. *add.* quia

50 Ms.: sed tamen

51 Ms.: quod

composita tamquam a principio productivo quod determinante et a forma substantiali tamquam a principio productivo quo determinante; sed substantia fit a qualitate tamquam a principio productivo transmutante.

Ad aliam dico quod omne quod fit fit a sibi simili tamquam a principio determinante, non autem quo transmutante.

Ad aliam concedo quod substantia potest sibi simile generare determinando principium transmutativum ad certum gradum, scilicet ad sic vel ad sic agendum; tamen substantia numquam producit sibi simile tamquam sit principium⁵² productivum transmutans.

Ad quartam dico: quando dicitur quod calor est instrumentum⁵³ anime, dicendum quod principium transmutans dicitur instrumentum et agens secundarium respectu principii determinantis, et principium determinans dicitur agens principale respectu principii transmutantis, et principium determinans dicitur principale agens et non quod virtutem suam applicet ad aliquod opus aliquid mensurando, sed quia mensura et principium transmutans in eadem operatione et ad sic vel sic agendum; unde homo mensurat calorem suum naturalem ut producat hominem et non bovem, sicut etiam dicitur ars fabrilis principale agens in fabricatione cultelli, et calor dicitur sicut instrumentum quem calorem mensurat ars fabrilis in suo opere; sed manifestum est quod ars fabrilis non transmutat materiam, sed solum mensurat et determinat principium transmutantis, scilicet calorem ignis secundum quod competit actioni sue et effectum quem intendit inducere, sicut etiam dicimus quod princeps seu etiam omnis conciliator seu precipiens detentionem⁵⁴ alicuius viri dicitur principale agens et minister exequutor cum est preceptum dicitur et secundarium agens instrumentale. Et manifestum est quod conciliator seu principium determinantis non est principium transmutationis seu non applicat suam transmutationem ad opus neque transmutat materiam, sed solum determinat existentem // c. 48vb // et agentem secundarium ad transmutandum sic vel sic; et solum ille qui «exequitur»⁵⁵ preceptum seu consilium transmutat materiam et applicat transmutationem et virtutem suam ad opus. Sic ergo dico quod calor est instrumentum

52 Ms. *add. et del.* eff

53 Ms.: *intrinsicum*

54 Ms. *add.* anseris

55 Ms.: *exquiritur*

anime, et tamen non est principale agens, sed quia determinat similiter quia determinat, sed cum ipsam non transmutat, dico etiam esse separatus ab homine et subiecto secundum gradum suum quod ipse esset agens tale sed transmutans et determinans principale ad productionem sui effectus scilicet forme substantialis.

Ad rationes.

Ad primam dico quod continere aliquam virtutem est dupliciter: uno modo secundum gradum perfectionis et <activitatis>⁵⁶; alio modo secundum gradum causalitatis et actualitatis. Et ille consequentie sunt diverse, quia species ita se habent quod sicut numerus maior continet minorem, ita species perfectior⁵⁷ continet imperfectiorem secundum gradum perfectionis et nobilitatis; et tamen certum est quod omnis species perfectior non continet imperfectiorem secundum gradum causalitatis et actualitatis; nam intelligentia superior non potest producere intelligentiam⁵⁸ inferiorem, sed superior continet gradum⁵⁹ perfectionis et nobilitatis intelligentie inferioris. Dico ad formam rationis quod forma efficiens totalis respectu alicuius effectus dicitur continere illum effectum virtualiter secundum gradum actualitatis; etiam continet ipsum in sua virtute activa, non tamen continet ipsum secundum gradus perfectionis et nobilitatis etc.

Aliter tamen potest responderi ad illud argumentum quod aliquid potest produci ab alio agente dupliciter: vel primo et principaliter et immediate vel per modum sequele. Dico tunc quod causa effectiva totalis continet virtualiter ipsum effectum qui est primo et principalis; ideo oportet virtualiter quod talem effectum contineret. Nam etiam principalis et immediatus effectus caloris est alteratio; sed motus est per modum sequele et est forma substantialis; et ideo oportet quod contineat virtualiter totam alterationem precedentem inductionem forme substantialis⁶⁰; sed non oportet quod contineat virtutem aut formam substantialem, aut non continet ipsam.

56 Ms.: non obliquitatis

57 Ms.: imperfectior

58 Ms. *add.* superiores

59 Ms. *add.* sue

60 Ms. *iter.* et ideo oportet quod contineat virtualiter totam alterationem precedentem inductionem forme substantialis

Ad secundam, que est ratio Avicenne, quando dicitur quod si effectus excederet causam, illud in quo effectus excederet causam non esset ab // c. 49ra // / aliqua causa productiva; dico quod non sequitur; immo dico quod illud in quo efficiens excedit causam est ab ista causa productiva, nec est inconveniens quod perfectius in entitate sit ab imperfectiori productus.

Ad tertiam, cum dicitur quod nihil agit ultra suam speciem, dico quod illa propositio est multum famosa, et ideo, quamvis <nihil probabilitatis>⁶¹ contineat tamen propter suam famositatem distinguo. Duplicem potest habere intellectum: <primum>⁶², quia nihil agat ultra⁶³ perfectionem sue speciei, hoc est non agat aliquod perfectius sue speciei; et sic nego hanc propositionem. Alio modo, potest intelligi quod nihil agat ultra⁶⁴ actualitatem sue speciei et nihil agat quod non contineat illud quod agitur in virtute activa; et sic concedo eam. Unde forma substantialis non est extra actualitatem speciei accidentis. Et si diceretur contra hoc sic: quod actualitas forme non est aliud quam sua entitas et perfectio; ergo quod continet aliud⁶⁵ continet illud secundum entitatem et perfectionem; dicendum quod quamvis hec entitas et perfectio non sunt eadem multa⁶⁶ videlicet entia sunt que non sunt entia. Item, quia non sequitur quod illud quod est magis activum sit magis ens nec e converso⁶⁷. Sic autem dico quod calor excedit formam substantialem in aucto in communi et iterum excedit ipsam in ente in communi, sed non in hac entitate etc.

Ad quartam rationem, quando dicitur: tunc omnis generatio substantie esset equivoca; dicendum quod non, quia tunc est generatio equivoca quando generans produciens quod differt specie a toto generato; modo dico quod substantia composita est generans et produciens quod in generatione subiecti; sed ipsa substantia composita est produciens determinans quod, et ipsa forma substantialis est produciens et determinans quo. Sed, licet produciens transmutans quo, ut⁶⁸ qualitas ipsa, differat specie, cum produciens transmutans quod, ut to-

61 Ms.: non probabit

62 Ms.: unde

63 Ms. *add. et del.* suam

64 Ms. *add.* suam et

65 Ms. *add.* secundum

66 Ms. *add. et del.* eadem

67 Ms. *add. et del.* cum ens

68 Ms. *add. et del.* totum compositum

tum compositum ex substantia composita et qualitate, non differunt secundum se totum specie ab ipsa forma substantiali inducta, nec principium determinans quo, ut ipsa forma, aut producat determinans quod, ut ipsa substantia composita ex materia et forma, dicuntur differre specie <a generato>⁶⁹; et hoc sufficit ad hoc quod generatio sit univoca.

Ad quintam, quando dicitur: si accidens produceret substantiam aut // c. 49rb // esset generatio univoca aut equivoca; dico quod si calor poneretur separatus a substantia, scilicet substantia subiecta accidenti, et tamen coniungeretur cum quantitate corruptiva, produceret tunc formam substantialem generatione equivoca; nec oportet ulterius quod in generatione equivoca generans sit nobilior generato, sed sufficit quod generans et generatum differant specie; sed utrum sit nobilior vel non, sit <accidens posterius ipsius>⁷⁰.

Ad sextam si ignobilior posset producere nobilior, tunc etc.; dico quod per entitatem seu caliditatem, que est per transmutationem materie et per additamentum, quarum non posset probari nobilitas in entibus; nam illud quod est magis activum per transmutationem est nobilior ut patet. Si autem per illam entitatem posset probari ordo vel nobilitas, nihil ad propositum, quia nunc loquimur de actione que est solum per transmutationem materie. Et dico quod ordo et nobilitas in entibus magis potest probari ex parte ipsius finis quam efficientis.

Et quando dicitur quod secundum illud non potest probari quod calor non possit attingere animam intellectivam; dico quod si forma intellectiva sit educta de potentia materie per mutationem materie, tunc non potest per istam rationem probari quod calor non possit producere formam seu animam intellectivam nisi⁷¹ tamen ipsa <sit> ab extrinseco et <non> secundum transmutationem materie; tunc bene potest probari quod calor non possit inducere formam intellectivam, quia calor nihil producit nisi in transmutando et alterando materiam.

Ad septimam, cum dicitur si solus calor etc.; cum dicitur quod aqua fervens sit calidior flamma⁷²; dico quod aqua fervens potest esse calidior flamma ad aliquid imprimendum ferrum et ad calefaciendum; sed quantum ad comburen-

69 Ms.: acto generis

70 Ms.: accidenti posteriora ipsi

71 Ms.: sit

72 Ms. *add.* solus calor etc.

dum seu urendum flamma est calidior aqua fervente; et ideo operatio que est urere vel comburere est operatio per quam calor generat ignem; et ideo, quamvis aqua fervens sit calidior flamma quantum ad sensum tactus et quantum ad calefaciendum, tamen flamma est calidior quantum ad comburendum, et ideo potest ignem generare et aquam. Vel potest dici quod aqua multum fervens aliquam materiam summe dispositam possit inflammare et ex ipsa generare ignem. Unde, sicut supra dicebatur, calor in quocumque subiecto recipiatur potest generare formam substantialem ignis. Sed est dicendum // c. 49va // utrum isti calores qui sunt in aqua fervente et in flamma sint eiusdem speciei et citra quod differant specie quoniam habent effectus contrarios, quia flamma coagulat, aqua autem fervens dissolvit. Dico quod sunt eiusdem speciei, quod patet, quia caliditas que est in aqua fervente est effectus flamme et caloris flamme vel potest esse; et hoc dico quoniam potest aqua calefieri ex carbonibus accensis⁷³, ergo sunt eiusdem speciei. Consequentia tenet et antecedens etiam patet. Item, calor qui est in aqua fervente contrariatur frigiditati aque que expellit <frigiditatem>⁷⁴ ipsam formaliter que fuit in aqua eadem, et effective expellit <frigiditatem>⁷⁵ que est in alia aqua, et <calidum>⁷⁶ ignis⁷⁷ seu flamme contrariatur et frigiditati aque; igitur calor flamme et aque ferventis sunt eiusdem speciei. Consequentia tenet, quia impossibile est uni plura esse contraria.

Ad rationem cum dicitur quod habent effectus contrarios; dico quod ex hoc non sequitur ut differant specie, sed quod habent formas contrarias. Nunc autem dico quod forme eiusdem speciei possunt habere operationes contrarias et esse ipsas formas sibi invicem contrarias. Vel aliter dico quod, licet habeant operationes contrarias, scilicet calor aque ferventis et flamme, hoc non est ratione sui, sed ratione qualitatum ipsarum cum quibus coniunguntur. Nam qualitates passive aliquo modo detinent in suis operationibus qualitates alteras, unde calor coniunctus cum humido magis essentialiter agit quam coniunctus cum sicco; et ita est in proposito, quia calor aque coniungitur cum humido et calor flamme cum sicco.

73 Ms. *add.* secundum speciei

74 Ms.: fervorantem

75 Ms.: fervorem

76 Ms.: certum

77 Ms. *add. et del.* est

Ad octavam rationem, que fuit doctoris subtilis, cum dicitur quod calor in agendo non attingit materiam primam, et per consequens non potest producere formam substantialem; huic respondeo dupliciter. Primo modo <negando> antecedens, alio modo <negando> consequentiam. Antecedens potest negari, quia agens in substantia composita recipitur in aliqua parte substantie compositae; non enim est ymaginandum quod forma substantialis sit media inter materiam primam et accidentia recepta in substantia composita, ita quod⁷⁸ forma impediatur receptionem horum accidenti^{um}⁷⁹ quomodo camisia existens inter tunicam impedit ne tunica tangat carnem. Ideo dico quod omne accidens extrinsecum receptum in substantia composita attingit materiam primam, quia est in eodem loco cum materia prima; et ideo tangit secundum se totum que sunt in eodem loco. Nec valet dicere: accidens est in substantia composita sicut in subiecto, ergo non attingit materiam primam; ideo oppositum // c. 49vb // sequitur plenissime. Similiter potest dici, scilicet negando consequentiam: nam quomodo aliud est subiectum transmutans, aliud terminus transmutationis, non omne quod agens per suam transmutationem potest inducere formam substantialem in materia, quamvis actio sua non attingit in materiam, quia in inductione forme substantialis terminatur actio transmutationis et non terminata est.

Ad nonam rationem⁸⁰, que etiam fuit ipsius doctoris, quando dicitur quod nullum accidens quod presupponit aliud in agendo distinguitur ill^o⁸¹; dico negando⁸² illam propositionem universaliter non tantum⁸³ nulla est actio per abiectioem contrarii; nam ibi semper agens abicit <a> substantia aliquid subiecti in quod agit. Et quando dicitur quod generans destruit materiam primam, sed substantia composita non; immo materia ita recipit aliquid non in subiecto alterationis et actionis alterantis, sed quod tunc non maneret actio alterantis generantis, sed solum actum esse seu forma substantialis etiam primo inducta⁸⁴ in materia. Hoc videtur bene in probatione secunde conclusionis principalis.

78 Ms. add. et del. hora

79 Ms.: accidentia

80 Ms. add. et del. ratione

81 Ms.: illud

82 Ms.: dicto negato

83 Ms. add. et del. aliquid sibi

84 Ms.: inductam

Ad decimam, cum dicitur quod ubicumque est ordo accidentalis in agentibus, ibi oportet dare ex ordine illo ad quod est causa essendi totius illius multitudinis; concedo, et tamen dico quod est dare primam speciem activam de genere accidentis, et illud est lumen vel aliqua qualitas corporis; secundum vero theologos illa qualitas est a Deo effective sicut etiam celum. Et bene concedo quod Deus est primum effectivum, nec oportet dare aliquam⁸⁵ substantiam preter Deum que sit effectiva illius primi accidentis.

Ad undecimam, cum dicitur quod subiectum habet se loco cause efficientis proprie passionis; illud bene dico quod est solum causa materialis sue proprie passionis, et passio efficitur ab eo a quo suum subiectum efficitur, quod patet; quia si subiectum efficeret suam propriam passionem aut quando est aut quando non est; non est⁸⁶ dicendum quando non est, quia quod non est nihil efficit; nec quando subiectum est, quia quando subiectum est, propria passio est, aliter subiectum esset sine propria passione. Si ergo est semper quando subiectum, ergo subiectum numquam efficit propriam passionem, quia tunc oporteret subiectum interesse per aliquod tempus.

Et quando dicitur: si subiectum esset tantum causa materialis, tunc subiectum posset relinquere propriam passionem; dico quod non sequitur, quia certum est quod materia habet proprias passiones respectu quarum est in potentia passiva et non activa, cum prima materia non sit efficiens alicuius, et tamen prima materia non potest derelinquere proprias passiones.

Et quando // c. 50ra // dicitur quod omnis potentia passiva est potentia contradictionis; dico quod omnis potentia passiva recipiens aliquam formam de novo per transmutationem sui dicitur esse in potentia contradictionis respectu illius, et sic intelligit Philosophus; modo subiectum non recipit suam propriam passionem de novo per transmutationem sui, quia ut sic aliquando fuisset sine propria passione, quod est falsum.

Ad rationem cum dicitur in generatione mixti etc.; dico quod verum est ab aliqua qualitate unius elementi; sed bene potest fieri ab ipsis qualitatibus elementorum. Unde, quamvis una qualitas elementorum non possit ad formam mixti, tamen omnes simul possunt secundum contraria; nam <in> inductione

85 *Ms. add. et del.* substantialem

86 *Ms. add. et del.* quod

forme mixti non manet aliqua qualitas alicuius elementi, ex quibus generatur mixtum, quia <in> inductione forme substantialis mixti corrumpuntur⁸⁷ quatuor elementa, et per consequens omnes qualitates eorum sunt corrupte; ergo in illo oportet quod sit aliquod generans in actu, et nulla qualitas elementaris est in actu; ergo oportet aliquod generans in actu. Dico quod in illo in quo inducitur forma substantialis non est aliquod fieri⁸⁸, sed aliquod factum esse; et ideo non oportet quod sit ibi in actu aliquod generans. Et hoc videbitur in probatione secunde conclusionis principalis.

Et quando dicit quod ita est generatio in actu, ergo etiam generans; dico quod si per generationem intelligeret solum factum esse, ideo sufficit quod tantum ante hoc fuit generans, et hoc generans fuit ipse, ut dictum est, vel alia qualitas activa.

Ad decimam tertiam et ultimam, <dico> quod calor ignis et animalis sunt eiusdem speciei secundum quod videbitur in probatione tertie conclusionis principalis, nec propter hoc quod sint eiusdem speciei est necessarium quod producant eundem effectum secundum speciem. Et ratio huius potest esse quod, licet sint eiusdem speciei, non tamen sunt sub eadem mensura et eodem gradu, ut ponebitur in tertia questione.

Questio secunda quam quidam doctores faciunt difficilem est de generatione mixti ex elementis, quid scilicet inducat formam substantialem in ultimo instanti terminante totam transmutationem elementorum ad invicem, in quo⁸⁹ instanti introducitur forma substantialis ignis.

Non enim potest dici quod hec forma substantialis introducatur in hoc instanti ab elementis, quia in hoc instanti elementa sunt corrupta, cum in eodem instanti fiat corruptio antecedentis forme et generatio sequentis; sed quod corrumpitur⁹⁰ nihil potest producere. Et ideo aliqui recur // c. 50rb // runt ad celum tamquam ad ultimum refugium, dicentes quod ipsum esse in hoc instanti producit ipsam formam substantialem mixti ex elementis; alii dicunt quod in

87 Ms.: corrupta

88 Ms.: factum

89 Ms.: quodam

90 Ms. *add.* est

illo instanti nulla forma substantialis introducitur, unde ponunt quod forma mixti, ut mixtum est, non addit supra formas elementorum; et isti sunt ponentes elementa in actu in mixto.

Ad istam difficultatem respondi et dixi quod in illo instanti temporis etc. non requiritur agens particulare inducens formam mixti. Et quia hoc videtur dubium, ideo hanc conclusionem probo sic: nulla forma pro illo instanti est inducta et generata, igitur tunc non requiritur inducens seu generans. Antecedens est notum, quia in instanti in quo fit generatio forme forma habet esse completum; et consequentia tenet, quia inducta non oportet inducere nec acta⁹¹ oportet agere; ergo similiter in proposito si forma est inducta et generata, in illo instanti terminato non requiritur inducens⁹² nec agens, sed sufficit quod in tempore ante istud instans⁹³ fuerit inducens et disponens.

Secundo sic: cui non repugnat aliquid pro uno instanti, igitur pro nullo instanti repugnat illud; sed forme inducte in aliquo instanti post instans⁹⁴ in quo est inducta non repugnat non habere causam producentem; ergo etc. Maior est nota, quia tunc generativa est ex parte materie, sed nunc manent semper eedem; ergo si in aliquo instanti non repugnat, sequitur etiam quod in illo. Sed minor apparet, quia forma producta in aliquo instanti post instans⁹⁵ in quo est producta sibi non repugnat <non> habere producens nec generans, ut notum est; ergo.

Tertia ratio: nam differentia est inter formam successivam et permanentem, cum successiva, cum sit, non habet suas partes simul, sed per aliquid est facta et <per> aliquid erit in fieri; et ideo semper requirit producens; ergo forma permanens, cum habeat suas partes simul, est in instanti in quo generatur et nihil restat fiendum, sed totum est factum, ut notum est; ideo non requirit agens.

Quarto sic: in illo instanti in quo non remanet substantia ad formam, pro tunc non requiritur agens inducens formam, quoniam quandocumque⁹⁶ materia non potest formam recipere non requiritur agens ad inducendum formam;

91 *Ms. add.* non

92 *Ms. add. et del.* et disponens

93 *Ms. add.* non

94 *Ms. add.* non

95 *Ms. add.* non

96 *Ms. add. et del.* forma

sed in illo <tempore>⁹⁷ forma inducta non retinet potentia ad illam formam; ergo etc. Maiorem probo, quia quandocumque forma est inducta in materia, tunc potentia materie est corrupta, cum non amplius sit in potentia ad istam formam. Et confirmatur, quia si potentia materie iterum esset in illo instanti in quo forma est generata, // c. 50va // sequitur quod forma iterum possit generari; hoc est falsum. Et consequentia tenet, quia omne illud potest generari quod est in potentia prime materie etc.

Et si dicatur quod dum materia recipit formam, tunc potest eam recipere et habet potentiam, sed in ultimo instanti temporis mensurantis alterationem precedentem inductionem forme substantialis materia recipit formam, ergo tunc remanet potentia ad illam formam; dicendum quod per 'recipere' possumus duo intelligere: vel fieri vel factum esse. Si per recipere intelligimus ipsum fieri, tunc dico quod in ultimo instanti temporis mensurantis etc., materia non recipit formam; si vero per 'recipere' intelligatur receptum esse, tunc dico quod in ultimo instanti temporis mensurantis etc. materia recipit formam et est in potentia ad recipiendum formam, sed illa non est potentia de qua agens transmutat materiam ad actum, ut puta potentia respectiva vel potentia que est ordo ad actum, quoniam illa corrumpitur in adventu actus. Modo in hoc instanti actus seu forma complete advenit, tunc non amplius est talis potentia; sed illa potentia media que est per hoc instans potest dici potentia loyca, que semper sequitur ad actum, sicut propositio de possibili sequitur ad propositionem de inesse, et hoc⁹⁸ non requirit generans in actu in instanti generationis subiecte, quia corruptio subiecti requirit corrumpens in actu pro instanti corruptionis; sed corruptio subiecti non requirit agens pro instanti corruptionis; ergo. Probo minorem: nam elementa per transmutationem eorum ad invicem se corrumpunt, nec hoc negat aliquis; sed pro instanti corruptionis elementorum elementa non sunt⁹⁹ actu sed sunt corrupta.

Sexta ratio: ponatur quod agens quod disponebat materiam sit corruptum in ultimo instanti in quo debet fieri generatio; manifestum quod tale disponens non est istud quod debebat inducere formam substantialem, quoniam idem est

97 Ms.: semper in quo

98 Ms. add. non magna generatio substantia

99 Ms. add. et del. in materia que

disponens et introducens. Tunc <quero> hic utrum¹⁰⁰ in ultimo instanti terminante alterationis precedentis generationem introduceretur forma substantialis aut non. Si sic, ecce propositum, quod non requiritur agens; si non, contra: quia forma alicuius elementi, ut puta elementum quod debeat corrumpi et ex quo eius oppositum generari debeat, staret cum suis oppositis qualitatibus in summo frigido vel humido.

Tertio et ultimo modo sic: materia ita summe disposita necessitatur ad formam introducendam, ergo in ultimo instanti adhuc supposito quod non sit generans introducens // c. 50vb // formam in materia, tamen tunc in hoc instanti terminante motus materia fit summe disposita.

Ad hec autem pro ista parte sunt multa exempla. Ponamus quod aliquod corpus moveatur localiter et quod in ultimo temporis mensurantis motum Deus corrumpat vel annihilat movens et removeat mobile; certum est quod in illo instanti inducitur ubi in illo corpore, et cum in uno instanti non moveat, inducens ipsum ubi non erat nisi ipsum movens localiter quod pro illo instanti est corruptum. Et multa alia exempla, quia quasi infinita possent adduci.

In oppositum arguitur, quia effectus particularis in actu requirit causam particularem et in actu; sed inductio forme substantialis in instanti est effectus particularis; ergo etc.

Secundo, omnis actus secundus pro mensura in qua est requirit operans in actu a quo est ille actus secundus; sed generatio subiecti est quidam actus secundus; ergo etc.

Item, quod sicut videmus quod illa que subito inducuntur habent causam in actu, ut patet in illuminatione medii a sole, si etiam sol corrumperetur in aliquo instanti, in illo instanti deficeret illa illuminatio medii; ergo eodem modo inductio forme substantialis subita.

<Pro solutione>¹⁰¹ illarum rationum factarum dico quod generatio forme substantialis non est aliud quod ipsa forma substantialis; quod patet, quia si esset aliquid aliud vel esset substantia vel accidens; non substantia, quia non materia nec forma alia, quia ut sic essent plures forme substantiales in gene-

100 Ms.: autem

101 Ms.: per solutionem

ratione inducte in qualibet generatione; non accidentia, quoniam omne accidens receptum simul a materia, cum forma<accidentalis>¹⁰² est posterius forma substantiali; sed generatio non est posterior forma substantiali, immo ponitur e converso, unde communiter ponitur quod forma substantialis est terminus generationis subite; ergo non est posterior, ergo etc.

Secundo, tunc in generationibus procederetur in infinitum. Probo, quia si generatio est aliquid inductum de novo distinctum a forma substantiali, tunc etiam ipsius est generatio, et iterum illius generationis similiter erit generatio, et sic infinitum.

Ad rationes factas in oppositum.

Ad primam, dico quod in illo instanti ultimo terminante motus non requiritur agens pro tunc introducens formam, quia pro tunc forma est inducta; et ideo <non> requirit agens inducens formam inductam, sicut non oportet agere acta, ita non oportet generare generatum, sed sufficit quod fuit agens introducens et disponens in toto tempore precedente ante instans // c. 51ra // ultimum ipsius motus. Unde in toto tempore ante non fuerit generata, non tamen quia tunc generans generaret eam, sed sufficit quod ante fuerit generans et disponens.

Ad secundam: effectus particularis et in actu requirit causam particularem; verum est si sit in fieri, unde si sit in fieri bene requirit, sed non si sit in facto esse; sed ista inductio subiecti non est in fieri sed in facto esse, cum in instanti forma substantialis habeat suum esse comple<t>um¹⁰³.

Ad tertiam, dico quod ista inductio vel generatio subiecti non est actus secundus sed primus, licet significet ut actus secundus. Unde dixi quod generatio non est aliquid distinctum a forma substantiali.

Ad quartam, patet; unde dico quod quedam sunt forme que sunt continue in fieri et requirunt non solum causam particularem efficientem, sed etiam causam particularem conservantem, cuiusmodi sunt lumen et ymago et huiusmodi et omnes forme acquisite successive. Et dico quod tales requirunt efficiens conservans in que sunt cum consistunt in continue fieri, unde quamquam dicantur facta, tamen sunt in fieri; unde non oportet quod sit aliquid quod faciat

102 Ms.: substantialis

103 Ms.: complexum

continue conservans, nam remoto conservante seu efficiente continue statim removerentur illa. Et causa est ista, quia efficiens non ita efficit quod numquam sit facta, sed semper restat quid fiendum, et sunt continue in fieri et non fieri; in hiis non est factum esse, ideo semper requirunt efficiens et conservans. Et scias quod efficiens continue efficiens non est nisi ipse conservans et e converso. Et ideo dicit <Augustinus>¹⁰⁴ quod lumen non est effectus in medio, sed fit in medio. Alie sunt forme que non sunt in substantiis in fieri sed in facto esse, et tales, cum sunt forme, non requirunt efficiens nec conservans, et tales dicuntur forme substantiales et terminantes. Et ideo cum forma substantialis in instanti habeat factum esse, quoniam suum fieri est suum factum esse, ideo pro tunc, scilicet pro illo instanti sue generationis, non requirit agens seu conservans, igitur etc.

Questio tertia est utrum calor celestis et elementaris et animalis differant specie an sint eiusdem speciei specialissime et athome, quia Aristoteles distinguit secundo *De generatione animalium*.

Arguo ergo ad partem quam credo fore veram, scilicet quod sint eiusdem speciei athome. Et primo sic: calor celestis aut dicitur celestis quia est in celo subiective aut quia est a celo effective. Non primo modo, quia celum non recipit peregrinas impressiones; // c. 51rb // ergo secundo modo dicitur celestis; sed calor elementaris est a celo effective, et similiter calor animalis; ergo isti calores sunt idem; et per consequens non differunt specie. Quod autem calor elementaris sit a celo effective per Aristotelem patet primo *Metaurorum*, qui dicit quod causa¹⁰⁵ efectiva omnium dispositionum quarum ipsa natura sunt materia seu subiectum, licet omnium dispositionum que sunt <hic>¹⁰⁶ inferius elementa sunt materia sive subiectum; ergo ipsarum causa efectiva est corpus celeste; igitur est causa efectiva caloris elementaris et animalis, sicut etiam est causa efectiva caloris celestis. Item, confirmatur hoc de mente Averrois in *De substantia orbis*, qui dicit omne calefaciens quod <in> calefieri patitur reducitur ad calefaciens impassibile; cum ergo ignis in calefieri patitur, oportet quod non <sit> primum calefaciens¹⁰⁷, sed corpus celeste; cum ergo principium in unoquoque genere sit

104 Ms.: Averrois

105 Ms. *add. et del.* ista

106 Ms.: sic

107 Ms. *corr. ex* calefactionis

causa posterior<is> in eodem genere secundo *Metaphysice*, sequitur quod celum sit causa effectiva¹⁰⁸ caloris.

Secundo sic: calor elementaris calefacit et desiccatur, et ita calor celestis et animalis; isti ergo tres habent istum eundem <effectum> specie; et per consequens sunt eiusdem speciei.

Tertio, calor elementaris potest intendi et remitti, et sic calor celestis et animalis; ergo isti tres calores possunt ita remitti vel intendi quod veniant ad eundem gradum; et tunc arguitur sic: illi calores qui sunt in consimili gradu ita quod possunt in eandem <operationem>¹⁰⁹ secundum speciem, sunt eiusdem speciei; sed calor celestis et elementaris et animalis sunt huiusmodi, cum reducuntur ad consimilem gradum caloris; ergo.

Quarto, plus differt calor ignis et calor aeris quam calor celestis et elementaris et animalis, cum sit intensior caliditas <ignis> respectu caliditatis aeris quam caliditas elementaris respectu caliditatis animalis; si ergo calor ignis et aeris non differunt specie, ita per locum a minori destruente quod nec calor celestis nec animalis differunt specie. Quod autem calor ignis et aeris non differant probatur, quoniam tunc qualitates elementorum essent plures quam quatuor, quod falsum est.

Item, tunc qualitas simbola non remaneret eadem in generato et corrupto ut in igne et aere, ex quo caliditas ignis differt specie a caliditate aeris per te.

In oppositum arguitur per Philosophum secundo *De generatione animalium* et per Averroym septimo *Metaphysice*, ubi dicit quod calor celestis salvat et <vivificat>¹¹⁰ alium, et calor elementaris destruit et corrumpit; cum igitur habeant contrarias operationes, oportet quod specie distinguantur.

Item, Aristoteles // c. 51va // secundo *De generatione* dicit quod in animalibus, immo in qualibet parte animalis, sunt isti tres calores; sed plures forme distincte absolute solo numero non possunt esse in eodem subiecto; sed isti tres calores, cum¹¹¹ non differant specie per te, tunc essent plures forme solo numero differentes in eodem subiecto; ergo etc.

108 Ms. add. et del. ignis

109 Ms.: oppositionem

110 Ms.: diversificat

111 Ms. add. non

Pro istis rationibus solvendis est attendendum quod calor in gradu in quo est, in quantum est conveniens complexioni animali dicitur animalis, et secundum quod est a celo effective dicitur celestis, et secundum quod est ab igne dicitur elementaris. Unde Commentator quarto *Metaphysice* commento decimono nono dicit quod calor celestis qui generat animalia est similis calori artificiali quem ars sibi mensurat ad aliquam operationem; secundo *De anima* commento octogesimoprimo, ubi dicit quod alterare attribuitur calido ignis, secundum principium quod actio <que> est quid determinatum debet attribui virtuti convenienti cum igne, quemadmodum mollificare ferrum cum igne ad faciendum aliquod instrumentum ut gladium, secundum quod mollificare ei attribuitur; sed secundum quod mollificatio habet terminum motus in unoquoque instrumento proprium etiam et determinatum, et ut sic attribuitur virtuti artis. Sic ergo non est aliquis calor qui est ignis, et ille qui est artis quo artifex utitur, nec mollificatio que est ab igne est alia ab illa que habet terminum et mensuram ab arte; ita non est alius calor animalis qui est conveniens conditioni animalis et qui est igneus dirigens aliquando etiam habet terminum vel mensuram a celo vel ab anima.

Ad primam rationem dico quod sicut calor ignis intensus ultra gradum convenientem complexioni animalis corrumpit animal, ita etiam calor celestis corrumpit animal, ut patet in ferventi estate; et omnino tam calor celestis quam calor elementaris corrumpit et solvit animal secundum alium et alium gradum. Quod ergo dicit Aristoteles et Averroys quod calor elementaris corrumpit et celestis salvat; dico quod per calorem elementarem intelligit calorem in tali gradu in quo consistit gradum et formam elementi, et ut sic corrumpit. Unde intelligunt omnem calorem¹¹² minus intensum ut corrumpat esse elementale, quia sicut calor elementi ut ignis corrumpit, ita et etiam ipsum corrumpens dicitur elementalis; et per calorem celestem intelligunt calorem secundum quem imponitur sibi actus generationis a corpore celesti, quia ut sic salvat; et ideo calorem celestem dicunt salvare. Unde ut sic calor elementaris et animalis secundum quod faciunt operationes dictas in corpore, prout reclamatur a celesti, dicuntur salvare sicut calor celestis, et omnes isti tres calores ut sic dicitur¹¹³ celestis i<s>demmet calor in aliquo gradu corrumpit animal, et ut sic dicitur elementa-

112 *Ms. add. et del.* in tali gradu in quo consistit

113 *Ms. add.* celestis

ris, et in aliquo gradu salvat, et ut sic dicitur celestis; et tamen idem calor est differens secundum magis et minus.

Ad // c. 51vb // secundum, quando dicitur quia isti tres calores sint in eadem parte etc.; dico quod non sunt tres calores, ymmo sunt idem calor numero. Et dico quod idem numerositate sumpta¹¹⁴ a forma ut sunt precise eadem forma secundum numerum et numerositate sumpta a subiecto, secundum tamen diversos gradus et habitudines dicuntur tres calores cum sint tantum unus¹¹⁵.

Sed diceret aliquis si teneret oppositum, scilicet quod differant specie, quomodo solveret illam rationem simpliciter quod plura accidentia absolute essent in eadem parte subiecti, hoc est falsum. Respondeo quod impossibile est plura accidentia solo numero distincta¹¹⁶ esse in eadem parte subiecti, sed, si cum hoc quod distinguntur numero, distinguntur etiam specie vel genere, non est impossibile, sicut patet de albedine et dulcedine, que quidem sunt in eadem parte lactis, non autem differunt solo numero, sed etiam specie et genere distinguntur. Et ita est hic, quia differunt numero et specie.

Sed aliquis diceret contra hoc sic: nam accidentia numerantur numeratione suorum subiectorum secundo *Metaphysice*; ergo si subiectum est unum, accidens erit unum; ergo simpliciter est impossibile accidentia distincta secundum numerum esse in eadem parte subiecti etiam si differant specie. Vel dico dupliciter. Primo sic: quando dicis accidentia etc., dico quod verum est de accidentibus eiusdem speciei, scilicet quod numerantur numeratione suorum subiectorum; unde¹¹⁷ albedines cum sint eiusdem speciei distincte non secundum numerum¹¹⁸ in eadem parte subiecti non possunt esse; sed non est verum de accidentibus diversarum specierum vel diversorum graduum. Vel aliter dico quod distinctio numeralis est duplex: quedam est que sumitur a numerositate forme, alia est que sumitur a numerositate subiecti. Modo dico quod ista accidentia que sunt diversarum specierum sunt idem numero numerositate sumpta a subiecto; unde si sunt in eadem parte subiecti isto modo, quia subiectum est unum numero, et ipsa sunt unum numero tali numerositate sumpta a subiecto, quia vim

114 Ms. *add. et del.* sit precise

115 Ms. *add. et del.* licet differrent

116 Ms. *add. et del.* esset

117 Ms. *add. et del.* dicitur

118 Ms. *add.* esse

item? numero per viam substituentie. Unde ex hoc concluditur correlarium quod non sequitur aliqua differunt genere vel specie, ergo aliqua differunt numero, quia possunt esse aliqua idem numero que tamen differunt specie, ut dictum est accipiendo idem numero, ut dictum est. Sed tamen ista accidentia diversarum specierum differunt numero numerositate sumpta a forma, unde sunt vere diverse forme secundum numerum; nec secundum hoc sequitur quod si subiectum est unum numero, quod accidentia sunt unum tali numerositate, sicut albedo et dulcedo, sint in eodem subiecto, ut patet in eadem parte precise lactis; non tamen sunt unum numero tali numerositate sumpta a forma, ymmo sunt vere due forme distincte secundum numerum per materiam tamen subsistentie, quia scilicet in eadem parte subsistunt et deferuntur ab eodem subiecto ut sic sint una forma secundum numerum.

Respondendo ad propositum restat unum dubium quoniam si // c. 52ra // est idem calor secundum speciem elementaris, animalis et celestis, tunc generata per putrefactionem a caliditate celesti, quia possunt generari a caliditate elementalibus, ita quod si in yeme esset calor ignis circa corpus putridum in tali gradu in quale est corpus celeste in estate, generabitur corpus animatum per actionem ignis, sicut etiam per actionem caloris celestis in estate.

Ad secundum, consequentia tenet ex quo sunt idem calor, unum sicut calor celestis in yeme, alius per putrefactionem si posset esse in yeme gradu in quali est in estate. Cum ergo calor ignis possit fieri in eodem gradu et parte, est idem calor specie et secundum numerum, scilicet celestis et elementaris; ergo sequitur quod illud quod unus eorum producit, alter poterit. Et confirmatur quod sint idem et in equali gradu quale disponens naturam et per consequens eundem introduceret, quoniam si materia est una et agens unum, quod producit erit unum, saltem secundum speciem. Respondeo concedendo conclusionem quod si calor ignis posset regulari etiam in debito gradu et convenienti salvari sicut calor celestis, quod etiam in materia putrida generaretur animal sicut calor celestis; modo hoc esset valde difficile, ymmo forte impossibile etc.

Questio est utrum forme contrarie ut calor et frigus, albedo et nigredo sint eiusdem speciei specialissime.

Et arguitur primo ad partem quam credo fore veram, ut moris est, scilicet quod sint eiusdem speciei specialissime, et illam conclusionem probo quatuor modis, scilicet loyce, moraliter, phylosophice et medicinaliter.

Prima ratio: quandocumque aliqua distant distantia formali a perfectissimo in aliqua specie, si unum illorum est in una specie, reliquum <est> in ista specie. Similiter: si illud quod est remotius a perfectissimo in eadem specie est perfectissimum, et istud quod est propinquius propinquitate formali erit in eadem specie cum illo perfectissimo. Hoc apparet in determinatis in loyca; dicit enim autor *Sex principiorum* capitulo de susceptione magis et minus, quod illud quod est magis tale accedit ad magis tale, et illud quod est minus tale quod distat a susceptione, verbi gratia illud est magis album quod est propinquius albissimo, et illud est minus album quod distat magis ab albissimo. Et ideo vult Aristoteles in *Topicis* et secundo *Metaphysice* capitulo de priori, ubi loquitur de distantia et propinquitate formali. Sed est dare aliquam caliditatem et aliquam frigiditatem que eque distant distantia formali a summa caliditate, ymmo est dare aliquam frigiditatem propinquiorem summe caliditati aliqua caliditate data; ergo si quecumque caliditas sit in eadem specie cum summa caliditate, et per consequens caliditas et frigiditas sunt in eadem specie; // /c. 52rb // et volo semper loqui de distantia et propinquitate ipsarum formarum. Maior huius rationis est determinata in loyca, sed probo minorem quantum ad utramque partem. Et suppono duo funda<men>ta et declarata ab Aristotele in scientia naturali: primum est quod rei permanentis de novo producte in esse per alterationem est dare primum instans in quo habet esse. Et hoc est planum etsi Aristoteles non dixisset eam, quia in ultimo instanti temporis mensurantis alterationem habet terminus alterationis primo esse, quia <aliter>¹¹⁹ terminus moveretur ad formam quam habet. Secundum fundamentum est quod rei permanentis¹²⁰ corrupte per alterationem non datur ultimum instans in quo habet esse; et hanc subdit Aristoteles; et vera est si non scripsisset, quia, si esset dare ultimum instans in quo talis res haberet illa, talis res corrumpetur in non tempore et non per alterationem; quod est impossibile.

119 Ms.: alius

120 Ms. *add.* producte vel

Istis suppositis arguo sic, et suppono quod aliquid transmutetur a calido in frigidum; et tunc per primum suppositum est dare primum instans in quo est sub frigido; et sit illud instans a, et volo quod statim sit approximatum unum agens tante virtutis in transmutando illud corpus calidum in summo et in approximando ipsum summe calido propinquitate formali quante virtutis fuit transmutans ipsum versus frigidum faciens distare formaliter¹²¹ a summo calido; hoc est possibile, ut satis patet intelligenti, cum non sit dare ultimum instans in quo talis res permanens habet <esse>. Tunc per secundum suppositum patet et sequitur quod adhuc post a in quo istud incipit erit sub frigiditate, et sit c; accipio tunc unum instans ante a in quo illud corpus fuit sub caliditate, tunc distans ab a tantum a parte ante quantum <c> distat ab a a parte post¹²²; tunc ego arguo sic: quantum illud corpus vel forma sub qua erat recedit recessu formali a suo calido in¹²³ tempore inter b et a, tantum accedit accessu formali versus calidum summum in tempore inter a et c. Et per consequens quantum perdit de propinquitate inter a et b, tantum acquirit inter a et c; ergo eque propinquum erit formaliter summo calido in c sicut fuit in b; sed in b est sub forma caliditatis et in c sub forma frigiditatis; ergo caliditas quam habet in b et frigiditas quam habet in c sunt vel fuerunt eque propinque propinquitate formali summo calido. Aliam partem minoris probo, scilicet quod aliqua frigiditas propinquior summo calido quam caliditas aliqua data, quia signo instans in medio tempore inter b et c sit illud <d> instans; qualitas illius mobilis dati fuit caliditas, quia semper ante a fuit sub tali caliditate, et in c et sua caliditas sumitur frigiditas; sed // c. 52va // in d sua qualitas magis distabit formaliter a calore quam qualitas quam habet in c, quia mobile magis accessit versus calidum formaliter inter a et c, quod recessit formaliter a summo calido inter d et a; ergo frigiditas sub qua mobile fuit in c instanti est propinquior summo calido quam caliditas sub qua mobile fuit in d instanti. Et loquor de distantia et propinquitate formali.

<Si dicatur>¹²⁴: ista ratio esse contra te, quia tu vis quod calor et frigus sint eiusdem speciei, sicut ego credo; <non>¹²⁵ est mihi inconueniens ponere quod

121 Ms. *add.* assumendo

122 Ms. *add.* et sit illud instans numero est

123 Ms.: a

124 Ms.: et igitur

125 Ms.: inde

aliquis calor et aliquod¹²⁶ frigus eque distent a summo calore; quod forte ponam, quia frigus non est nisi calor remissus, sicut etiam umbra est lumen diminutum. Sed ponendo quod calor et frigus differant specie est valde inconueniens ponere quod aliquis calor et aliquis frigus equaliter distent a summo calore, quod tamen oportet dicere si ponis quod differant specie.

Sed aliter dicatur huic rationi, quod non est impossibile quod post a statim transmutetur versus summum calidum, cum in motu oportet mobile quiescere in puncto reflexionis; contra quam illud nunc solvo, quia ponamus quod quiescat post tempus aliquod et sit a ultimum temporis mensurantis quietem illius, et distet et tantum a parte post ab a <quantum>¹²⁷ b a parte ante distat ab a; et fiat ratio eodem modo in quatuor vel in duos terminos. Si non, dicatur post a statim erit sub calido, quia statim reuertitur frigiditas et frigiditas non reuertitur nisi per admixtionem calidi, ut <patet> secundo *Physicorum*. Sed contra, quia hoc est contra duo fundamenta supposita et probata. Et arguitur aliter: si statim¹²⁸ post primum instans temporis mensurantis alterationem inducatur forma ad quam est motus, quero aut totus terminus ad quem statim producitur vel pars eius; si detur quod totum statim producitur, sequuntur duo inconuenientia. Primum est quod terminus erit sine motu, quia istud quod nunc non est in subiecto et statim erit in subiecto acquiritur sine motu. Secundum inconueniens est quod mobile quod movetur totaliter esset in termino ad quem, quia semper durante motu habet terminum ad quem. Et si dicatur quod pars termini ad quem statim sine medio inducitur, et ista pars sit de specie termini, sequitur quod tota species termini ad quem aggregatur sine medio et motu.

Item, arguo et eodem modo de termino ad quem in primo instanti temporis mensurantis motum; manifestum est quod mobile in toto termino a quo et sine medio stante per te erit sub forma contraria. Quero ergo aut totus terminus a quo corrumperetur aut nihil eius aut pars eius; non primo, quia ut sic mobile dum movetur nihil haberet de termino a quo; si detur quod nihil eius corrumperetur // c. 52vb // patet, sequitur quod nihil de termino ad quem acquiratur, quia quanto acquiritur de termino ad quem tantum corrumperetur de termino a quo. Si dicatur quod aliquid de termino a quo corrumperetur sine medio, sequitur quod illud

126 Ms. *add.* aliud

127 Ms.: in

128 Ms. *add.* post aliter

corrumpitur in non tempore; et certum est¹²⁹ de termino a quo <quod> corrumpitur in tempore; cum ergo inter illud quod corrumpitur in non tempore et illud quod corrumpitur in tempore ab eodem agente non est proportio, sicut non <est> proportio inter instans et tempus, sequitur quod illa pars termini a quo que corrumpitur in tempore¹³⁰ ad aliquam partem que corrumpitur in <non> tempore <est proportio>, quod est impossibile, quia cuiuslibet finiti ad infinitum eiusdem rationis <non> est aliqua proportio.

Item, in instanti a mobile sub frigiditate existens statim et sine medio erit sub caliditate, et non est primo sub tepiditate, ut manifestum est ex dictis; quod est impossibile secundo *Physicorum*, primo enim mobile deveniet¹³¹ in medium quam in ultimum.

Item, caliditas aeris est caliditas remissa et similiter levitas aeris est levitas remissa; si ergo nihil remittitur nisi per admixtionem sui contrarii, sequitur quod qualitates aeris erunt mixte, cum non essent simplices.

Item, ad principale propositum potest fieri argumentum de raro et denso, scilicet quod rarum et densum non differant specie, quia mobile recedit a raritate quousque sit sub densitate et postea movetur e converso; hoc verum est quod statim qui acquireret raritatem, quia de raro non fit densum nisi propter admixtionem partium rararum nec e converso.

Secundo, arguo ad questionem naturaliter per quinque rationes. Primo, est impossibile quod contraria eiusdem speciei sint magis contraria quam aliquod calidum et aliquod frigidum; ergo calidum et frigidum sunt eiusdem speciei. Maior patet, quia ex quo contrarietas est quedam distantia, et illa que sunt eiusdem speciei non possunt plus distare nec inter se maiorem distantiam habere quam illa que differunt specie. Sed minor probo: nam per Aristotelem secundo *De generatione* actio fit per contrarietatem, illa ergo contraria que inter se agunt et patiuntur sunt magis contraria quam illa que nec agunt nec patiuntur¹³² inter se dummodo sint forme active. Sed certum est quod aliquod calidum valde intensum approximatum calido valde remisso agit in ipsum, ut ignis in aerem vel in animal; sed est dare aliquod calidum approximatum alicui frigido ita quod

129 Ms. add. quod

130 Ms. add. vel

131 Ms.: deveniat

132 Ms. add. sunt magis contraria quam illa que non agunt nec patiuntur

neutrum aget in reliquum; ergo. Probatur assumptum: nam ponatur quod aliquod calidum parvum ut parva flamma agat in magnum // c. 53ra // frigidum ut in aqua maris; tunc illud calidum aget in aliquam partem maris; capio tunc partem maris calefactam ab isto calido; illa est approximata alicui parti frigide, tunc <quero>¹³³ aut calefacit calidam aut non. Si non, habeo propositum quod aliquod calidum approximatum alicui frigido non agit in eum; si detur quod sic, sequitur eadem ratione quod ista pars calefacta calefacit aliam, et sic quousque totum mare erit calefactum et alteratum; et per consequens parva flamma posset totum mare alterare et calefacere, quod est satis inconveniens. Et potest argui sub alia forma: quero aut illa flamma alterabit totum mare aut non; non primum, quia ut sic uno motu omnia moverentur, quod est inconveniens; si dicatur quod non, capio totum alteratum et calefactum ab illa forma, tunc illa pars calefacta et alterata est approximata alteri parti non calefacte, et tamen non agit in eam; ergo propositum sequitur.

Secunda ratio principalis est <de specie> determinata ad maximum et ad minimum, ut patet secundo *De anima* «omnia enim natura constantium» etc.; sed calor non est determinatus ad maximum et minimum; ergo non est species determinata, nec per consequens distincta a frigiditate; et per consequens calor et frigidus sunt eiusdem speciei. Probatio minoris: si calor esset determinatus ad maximum et ad minimum cum¹³⁴ sit possibile aliquod frigidum approximari alicui minimo calido, potest agere in ipsum transmutando ipsum ad frigidum; sit ergo a primum instans in quo frigidum est approximatum illi calido; quero utrum post a manebit calidum vel non. Si detur quod sic, cum frigidum approximatum calido ipsum remittat, sequitur quod si post a maneat calidum¹³⁵, sequitur quod etiam erit dare minus calidum minimo calido, et ita dabitur minus minimo. Si detur quod non maneat calidum post a, sequitur quod a est ultimum instans in quo res permanens habet esse, quod est impossibile, quia est dare primum instans in quo forma sequens habet esse, et inter ista duo instantia est tempus medium in quo medium nec esset sub forma priori nec sub forma a posteriori. Vel <transmutetur>¹³⁶ mobile a magna caliditate ad minimam frigiditatem.

133 Ms.: autem; *add. et del.* calor

134 Ms. *add. et del.* sint

135 Ms. *add. et del.* post p a

136 Ms.: transmutaretur

tatem transmutando per minorem caliditatem; in uno ergo instanti erit mobile sub minima caliditate et in alio sub minima frigiditate; et sic sequitur quod ista duo instantia erunt immediata, aut quod, si sunt mediata, in illo tempore medio <mobile> erit sub neutra forma, quod est impossibile.

Tertia ratio naturalis est ista: si albedo, nigredo et rubedo differant specie, tunc transiens de specie extrema ad extremam distaret // 53rb // per species medias, prius transit per medias, ut patet per diffinitionem medii in secundo *Physicorum* «medium est in quod continue transmutans prius devenit quam in extremum», sequitur quod transiens ab albedine in nigredinem fieret prius sub speciebus mediis, fieret ergo prius sub viriditate et rubedine etc.; et cum capilli nigri canescerent oporteret quod prius fierent virides et rubei etc., quod est falsum. Et si dicatur quod non oportet transire per¹³⁷ species medias, licet per aliquam contrariam.

Item, species medie habent se secundum ordinem, ita quod una est propinquior albedini, alia remotior; si ergo mobile debet transire de albedine in nigredinem vel e contra <transibit> per aliquam speciem aut non. Si non, tunc est aliquod medium; et quero aut oportet transire per illud medium aut non; si sic, sequitur quod transeat per omnia media¹³⁸; si non, ergo ibit de extremo ad extremum sine medio. Si est immediata, aut inter ipsam et aliquod extremum est medium aut non; non est dicendum quod non, ergo etc.

Item, colores medii secundum Aristotelem componuntur extremis, ita quod secundum quod aliquis color habet minus de uno quam de alio in aliqua proportione numerali fit una species, et secundum aliquam proportionem fit alia. Cum ergo in transmutatione ab albedine in nigredinem oportuit transire secundum omnes istas proportiones, ut notum est, procedendo contingit magis de forma acquirenda acquirendo et de forma contraria deperdendo, sequitur quod transiens de albedine in nigredinem vel e converso transeat per omnes species medias.

Iterum, quod colores medii in extrema sint eiusdem speciei specialissime apparet: nam secundum Aristotelem et Averroem in *De sensu et sensato* colores

137 Ms. add. et del. 3

138 Ms. add. et del. aut inter ipsam et aliquod extremum est medium aut non non est dicendum

componuntur ex luce opaca, et lux est formale in omnibus coloribus; sed sicut eadem forma in omnibus coloribus non distincta secundum speciem, sequitur quod omnes erunt eiusdem speciei.

Quarta ratio principalis: non plus differunt termini alterationis quam termini augmenti, quia ita verus motus est augmentum sicut alteratio; sed termini augmenti non differunt specie; ergo etc. Probo minorem: nam augmentum est a minori quantitate corporea ad maiorem corpoream; sed omnis qualitas corporea est eiusdem speciei, quia non differunt nisi secundum magis et minus.

Quinta ratio principalis physica: si contraria differunt specie, motus non caperet denominationem a termino ad quem nec speciem. Probatio: quia aut caperet istam denominationem quando est aut quando non est; non quando <non> est, quia tunc non est in specie; nec quando est, quia quecumque est alteratio, est quid // c. 53va // indeterminatum ad rem ad quam¹³⁹ terminatur, ut si aliquid alteratur a calido versus frigidum, indeterminatum ut est in re <an>¹⁴⁰ prima illa alteratio transmutabitur ad frigidum vel ad tepidum vel ad frigidum remissum; ergo si calidum et frigidum differunt specie, numquam haberet motus denominationem vel speciem a termino ad quem.

Tertio, probo intentum principale per rationes morales: virtutes morales et vitium sibi oppositum sunt contraria, et tunc sunt eiusdem speciei; ergo etc. Quod autem virtus moralis et vitium sibi oppositum sint eiusdem speciei probo, et hoc loquendo de eo quod est absolute in virtute et vitio, quia illi habitus sunt eiusdem speciei <qui>¹⁴¹ fiunt ex actibus consimilibus seu ex actibus eiusdem speciei, et hoc quantum¹⁴² ad substantiam actus; sed virtus et vitium sunt huiusmodi, ergo. Maior patet, quia circumstantie actuum et circumstantie finis eque non efficiunt, ymmo nihil efficit in habitu quantum ad absolutum in habitu, non scilicet substantia habitus. Minor probatur sic: ponatur quod duo agrediantur bellum <et> frequenter actus exerceant, unus propter defensionem rei publice, alter propter pecuniam acquirendam, uterque pro eodem actu potest accipere habitum; modo certum est quod unus acquirit habitum virtuosum, alter habitum vitiosum; et tamen isti sunt habitus eiusdem speciei, cum sint ex

139 Ms. *add.* rem

140 Ms.: nunc

141 Ms.: et

142 Ms.: quantumcumque

eisdem actibus, ergo etc. Et si dicatur actus exteriores bene sunt eiusdem speciei, sed non interiores; contra: actus interiores, scilicet velle pugnare et defendere rem publicam, pro quocumque fine sunt eiusdem speciei et sunt in eadem potentia eiusdem obiecti.

Secunda ratio principalis moralis: ponamus quod aliquis agrediatur frequenter bellum propter inanem gloriam aut propter aviditatem pecunie, ita quod faciliter operatur. Certum est quod iste habitus non est virtus, cum non fiat ex actibus ordinatis ad bonum finem. Ponamus postea quod ipse mutetur finem et agrediatur bellum propter defensionem rei publice; certum est quod iste delectabiliter operatur et facilius sicut prius, et operatur ex priori habitu, <cum> non ex uno actu potest fieri habitus de novo. Item, ergo habitus qui est virtuosus est illemet que prius fuit vitiosus. Hoc non posset esse si virtus et vitium differrent specie.

Quarto probo hoc idem medicinaliter: sanitas et egritudo sunt contraria et sunt eiusdem speciei, loquendo de eo quod est absolutum in eis; ergo etc. Probatum autem quod non differant specie; dicitur primo, quia vel sanitas est ipsi humores vel qualitates proportionatas; certum est quod qualitates et humores sunt eiusdem speciei in sano // c. 53vb // et in egro; si autem inter illas per sanitatem proportionem seu adaequationem et per egritudinem¹⁴³ inadaequationem, cum tales sint relationes, et cum ibi non sit aliquid absolutum nisi qualitates et humores, que sunt eiusdem speciei, sequitur quod sanitas et egritudo non sint differentes specie, quoniam duo relativa non differunt specie, puta illud quod est sanitas in uno subiecto potest esse egritudo in alio subiecto, nam illa proportio que est sanitas in leone, si esset in homine esset sibi egritudo. Sed manifestum est quod illud quod est unius speciei in uno subiecto non est diverse speciei in alio subiecto; nam species non diversificatur solum ex diversificatione subiecti; unde nigredo in corvo et in carbone non differunt specie; ergo sequitur quod sanitas et egritudo non differunt specie. Dico ergo quod calor et frigus et albedo et nigredo et universaliter omnia contraria que hic successive in eodem subiecto existente in actu sunt eiusdem speciei specialissime. Et dico quod frigiditas quantum ad illud quod est positivum et absolutum in ea non est nisi caliditas remissa. Et hoc apparet per Aristotelem quarto *Metaurorum*,

143 Ms. add. et

qui dicit quod omnia elementa preter ignem sunt putrescibilia. Sed per Aristotelem idem putrefactio est corruptio caliditatis proprie et ab aliena caliditate ut a caliditate ambientis, ergo tria elementa alia ab igne habent propriam caliditatem; sed caliditas aque et terre non sunt nisi eius frigiditas; quod probatur, quia aliter esset ponere qualitates aque et terre mixtas et non simplices, quod est falsum; ergo frigiditas est quedam caliditas.

Item, Averroes secundo *De celo* loquens contra Avicennam qui dicit quod quedam corpora supercelestia causant calorem et quedam frigidum, dicit quod rei veritas est quod corpora celestia non causant frigiditatem, et hoc est verum quantum ad privationem quam includit frigiditas; nam non producant frigiditatem nisi quia inducunt remissam caliditatem, que potest dici frigiditas, et non inducunt privationem caloris. Et dicit quod causant calores similes unicuique elemento, ergo unumquodque effectum habet¹⁴⁴ calorem proportionatum sibi; sed calor aque vel terre non est nisi frigiditas, ut notum est, cum in ipsis non sit qualitas mixta, sed simplex; ergo etc. Et hoc de primo questionis.

Secundo, arguo ad oppositum, scilicet ad partem quam credo falsam, sic: si sic est, sequitur quod <morale>¹⁴⁵ et immorale sint eiusdem speciei, hoc est falsum. Consequentia tenet, quia sunt contraria.

Secundo nam Aristoteles in multis locis et quasi ubicumque ponit contraria differre specie, unde contraria sunt que sub eodem genere sunt et maxime ad invicem distant decimo *Metaphysice*; quod non esset si essent eiusdem speciei.
// c. 54ra //

Ad primum dico quod contraria que habent esse circa idem subiectum existens in actu et inter que est transmutatio circa idem subiectum existens in actu sunt eiusdem speciei, nec loquor de aliis. Modo <morale>¹⁴⁶ et immorale non sunt talia, quare non est ad propositum.

Ad <secundum>¹⁴⁷ dico quod Aristoteles loquitur communiter et secundum famositatem; nam secundo *Topicorum* dicit loquendum est ut plures, sentiendum vero ut pauciores; unde ubicumque procedit <narrative>¹⁴⁸ loquitur secun-

144 Ms. *add. et del.* caliditatem

145 Ms.: rationale

146 Ms.: rationale

147 Ms.: illud

148 Ms.: naturaliter

dum famositatem et communem modum dicendi, sed ubi procedit disputative et veritatem determinando <ibi>¹⁴⁹ loquitur ut sapientes loquuntur et secundum sui opinionem. Et ideo quia illam questionem de ydemptitate specifica contrariorum non determinavit, sed solum narravit, dico quod ubicumque in hac via loquitur secundum famositatem; quare etc.

Sed quidam socius respondet ad meas propositiones dicens eas esse sophisticas. Ad primam meam rationem respondet: concedo omnia usque ad istam suppositionem quod non convenit dare ultimum instans in quo res permanens inducta per alterationem habeat esse. Ipse negat si universaliter accipiatur, quoniam est dare ultimum instans in quo frigidum remississimum habeat esse. Unde prima suppositio conceditur, scilicet quod est dare primum instans in quo res permanens habet esse, sed secunda suppositio negatur, scilicet quod non est dare ultimum instans etc., quia si calidum approximetur remississimo frigido, in primo instanti approximationis remanet frigiditas et numquam postea manebit. Et per hoc patet solutio ad primum argumentum. Dictum autem fuit quod primum argumentum facit fidem quod per idem probarem quod medium plus distat ab extremo quam extremum ab extremo.

Ad secundum argumentum respondet dupliciter: primo in dogmatibus suis non scriptis unde dictum fuit quod ipse dicit quod magis calidum non agit in minus calidum, quia contrarietur minus calido, sed quia contrariatur frigido quod est in minus calido; unde minus calidum non patitur per naturam caliditatis a magis calido, sed magis calidum agit in minus per rationem frigiditatis que est in eo. Sed ille respondet in suis dogmatibus scriptis¹⁵⁰ sic: dicit enim quod omne calidum approximatum frigido, dummodo non sit remissum calidum, agit in ipsum; sed calidum remissum approximatum frigido non alterat ipsum, sed statim corrumpitur ab eo; ideo falsum in argumento quod calidum et frigidum approximata ad invicem neutrum agit in reliquum, ymmo necessario <unum> agit in reliquum.

Ad tertium principale dicit breviter quod species sunt determinate ad maximum et ad minimum et similiter dicit quod est dare // c. 54rb // calidum intensissimum et remississimum et similiter de frigiditate, et per consequens quod iste qualitates sunt terminate secundum maximum et minimum.

149 Ms.: ubi

150 Ms.: sic

Sed licet ista sint subtiliter dicta, tamen videtur mihi quod non sufficient. Probo igitur contra dicta sua octo conclusiones.

Prima conclusio est contra responsionem suam prime rationis. Ostendo enim quod nullam implicet contradictionem, scilicet quod sit dare ultimum instans in quo res permanens corrumpenda per alterationem habeat esse, et quod sit etiam dare primum instans in quo res permanens per alterationem habeat esse. Hec conclusio probatur sic: sit a ultimum instans in quo frigiditas est in subiecto, et illi subiecto approximetur calidum; tunc per te est dare primum instans in quo calor inducatur in illo subiecto; tunc in a instanti ultimo fit frigidum; et certum est quod inter a et b est tempus medium, et sit illud tempus c; tunc quero: aut est subiectum calidum aut frigidum aut neutrum; si frigidum, ergo a non fuit ultimum instans in quo est frigidum, cum post a sit frigidum; si vero in c est calidum, ergo erit calidum antecedens ipsum b in quo ponitur primo esse calidum, quod est impossibile; si vero dicatur quod in tempore c nec sit calidum nec frigidum, sequitur quod agens naturale erit approximatum passo per aliquod tempus non agens in ipsum, quod est impossibile. Sed si dicatur quod in c est sub forma media; contra illud arguo sic: cum enim sit sic dare primum instans in quo forma media habet esse, inter illud instans et a est tempus medium in quo nec est sub forma mixta nec sub aliquo extremorum.

Item, ego dicam de contrariis immediatis; tunc enim sequitur quod in tempore c subiectum de contrariis immediatis, tunc enim sequitur quod in tempore c subiectum nec sit forma media, cum non sit, nec sub aliquo extremorum.

Ad illam replicationem respondet dictus socius quod numquam hec duo concessit, scilicet quod est dare ultimum in quo res permanens corrupta per alterationem habet esse et quod est dare primum instans in quo res permanens producta per alterationem habet esse, sed dicit quod dixit etc.

De ista questione nihil volui scribere quoniam ille Burleus facit¹⁵¹ usque ad finem questionis¹⁵² unum quaternum stationis de litera totaliter inutile, unde non ponit nisi solutiones et replicationes quas ipse et quidam alius doctor sibi invicem faciebant. Et supponit Burleus multa falsa, ideo non scripsi, ergo etc.

151 *Ms. add. et del.* ad finem

152 *Ms. add. et del.* unde

1.2 Città del Vaticano, Biblioteca Apostolica Vaticana, ms. Ottob. lat. 318

c. 101ra Est¹⁵³ **questio utrum qualitas in virtute propria possit producere formam substantialem vel in virtute propria possit esse principium totale productivum forme substantialis.**

Hic ponuntur quatuor conclusiones. Prima erit affirmativa de eo quod queritur. Secunda erit quod in instanti inductionis forme substantialis subito inducte in materia non requiritur agens pro tunc inducens formam. Tertia erit quod illi tres calores quos Philosophus distinguit secundo *De generatione animalium*, scilicet celestis, elementaris et animalis sunt eiusdem speciei a thome. Quarta conclusio erit quod forme contrarie, scilicet calor et frigus, albedo et nigredo sunt eiusdem speciei specialissime.

Ad primam conclusionem primo probo eam per quatuor rationes; secundo per auctoritates; tertio solvam dubia.

Prima ratio est hec: illud quod per se quocumque alio circumscripto activo potest in aliquam formam et <sine>¹⁵⁴ eo aliud agens non potest in eundem, illud tale in virtute propria potest in illam formam; calor per se est huiusmodi etc. forme ignis, quia ipso posito etc. et ipso non posito <quacumque>¹⁵⁵ posita forma substantiali ignis non sequitur productio forme substantialis inducende; igitur etc. Maior patet. Probatio minoris quoad utramque partem: quoad primam, scilicet quod calor possit sine alio etc., probatur sic: quod potest in dispositionem necessitantem ad formam substantialem ignis, potest in formam ignis; sed calor est huiusmodi; ergo etc. Maior patet, quia quod per se potest in antecedens, per se potest in consequens quod ad ipsum de necessitate sequitur.

153 **In marg. sup. 101r** (fortasse alia manus): «Probatur quod accidens, puta calor, producat substantiam primo et per se, quia quod producit aliquod antecedens ad quod necessario sequitur aliquod consequens, de necessitate producit formam substantialem. Dicitur ad maiorem quod producens antecedens bene producit consequens quod est intrinsecum antecedentis, sed aliquod non. Vel aliter quod calor non agit si corpus calidum agit disponens et formam sed non per idem». **In marg. ext.:** «probatio calor necessitat substantia suo motu in lapide? et calor producit ignem. Item, calor solis producit ignem in stupam ut patet in speculis comburentibus; ergo etc.». **In marg. ext.:** «Probo quod calor ? substantiam ut motus ? ? ? producit ignem. ? calor solis producit ignem in stupam ut patet in speculis comburentibus».

154 Ms.: si non

155 Ms.: quatumcumque

Minor patet, quia calor per se et in propria virtute potest calefacere, et summus calor propria virtute summe calefacere, et summum calefacere necessitat ad formam substantialem ignis; ergo etc. Secunda pars minoris probatur, quia si ponatur forma substantialis sine calore numquam producet ignis etc.

Ad hanc rationem respondetur quod calor non potest in propria virtute in aliquam dispositionem necessitantem ad formam substantialem ignis, quia nulla est talis que necessitet. Quod patet, quia quecumque dispositio inducitur // c. 101rb // ante formam ignis inducitur in instanti precedente instans forme ignis; et inter illa duo instantia est tempus medium in quo materia non est sub forma ignis. Et si dicatur quod calor propria virtute potest introducere calorem impossibilem forme aque et ita aliam formam substantialem sequitur quod calor non potest in calorem impossibilem forme aque, quia talis calor impossibilis inducitur simul cum forma ignis et non inducitur ab eodem a quo forma substantialis ignis, per modum tamen sequele. Et si dicitur quod calor ignis potest in tantum calorem quia potest producere sibi similem; dicunt quod non potest, quia tantus calor non inducitur nisi per modum sequele ad introductionem forme substantialis ignis; et ideo necessario producit a forma substantiali a qua producit ignis.

Sed ista non sufficiunt, licet verum sit quod nullus calor erit inductus ante inductionem forme ignis necessitans ad formam ignis; nec super hoc fundatur ratio, sed super hoc: quod calor in propria virtute potest in totam alterationem precedentem formam substantialem ignis. Unde omnes doctores in hoc conveniunt quod calor propria virtute potest calefacere et est agens principale respectu calefactionis et respectu totius alterationis precedentis formam substantialem ignis, licet sit instrumentale etc. forme substantialis. Ex hiis arguitur sic: illud quod potest propria virtute in totam alterationem precedentem formam substantialem seu primam inductionem forme substantialis quocumque alio circumscripto, illud propria virtute potest in illam formam vel ipsam inducere; calor est huiusmodi; igitur etc. Maior probatur tripliciter. Primo sic: quia si a potest in totam alterationem precedentem et non in terminum, suspendat Deus actionem cuiuslibet agentis; tunc illa alteratio erit infinita, quia sine termino. Secundo sic: per Commentatorem septimo *Methaphysice* commento¹⁵⁶ dicente

156 Ms. om.

quod illud idem quod transmutat materiam inducit formam; et causa effectiva totius transmutationis precedentis transmutat materiam, et huiusmodi causa est calor; igitur etc. Si dicas ad minorem quod calor non potest in tota etc.; contra: calor est virtus activa et per Philosophum et Commentatorem primo *Celi* commento¹⁵⁷, perfectio // c. 101va // virtutis active determinatur per maximum in quod potest; quero ergo quod est illud maximum in quod potest calor propria virtute: vel est forma substantialis ignis, et habetur intentum; vel calor simul inductus cum forma substantiali ignis, et iterum habeo intentum, quia potest in totam etc.; vel aliquis gradus citra inductionem forme substantialis introductus; et hoc non, quia signetur instans in quo talis gradus est inductus et sit a; post a et ante introductionem forme ignis est tempus in quo tempore calor approximatus calefactibili non calefaciet, et illud tale calefactibile non est summe calidum, et per consequens non omni modo quo potest esse calidum, hoc autem est inconueniens; vel ultimum in quo potest est tota alteratio precedens, et habetur propositum. Hoc patet, quia non potest aliter imaginari; igitur etc.

Illud quod in quocumque subiecto positum semper inducit aliquam eandem formam, producit illam propria virtute; sed calor cum aliis accidentibus constituentibus formam ignis in quocumque subiecto poneretur semper produceret ignis; ergo etc. Maior probatur, quia non quodlibet producit a quolibet, sed determinatum a determinato. Minor patet, quia in quocumque subiecto ponatur calor in gradu in quo est consequens formam ignis cum siccitate et aliis accidentibus constituentibus eandem semper produceret ignem; igitur etc.

Tertio sic: calor inducit formam non sicut instrumentum, ergo in virtute propria. Consequentia patet; antecedens probatur dupliciter. Primo sic: quia instrumentum non a quocumque motum semper producit idem, sed motum ab uno producit unum, motum, ab alio producit aliud; sed calor a quocumque movetur et in quocumque subiecto recipiatur in gradu convenienti igni semper producit ignem; igitur etc. Secundo sic: quia si calor esset agens instrumentale ignis, forma substantialis in qua vel substantia illa esset agens principale. Consequens est contra Philosophum quarto *Methaurorum* «idem non est causa contrariorum»; sed illa eadem substantia variatis gradibus producit contraria, scilicet calidum et frigidum.

157 Ms. om.

Quarto sic: calor propria virtute potest in corruptionem forme substantialis ignis; ergo et in generationem. Consequentia patet; antecedens probatur, quia calor // c. 101vb // propria virtute potest corrumpere aquam: nam in propria virtute potest inducere calorem impossibilem forme aque; igitur etc. Dicitur quod maior est falsa, quia facilius est destruere quam construere, ut patet secundo *Thopicorum*. Contra: generatio unius est corruptio alterius primo *De generatione*; nunc autem generatio et corruptio sunt una mutatio, quia generatio est accessus ad formam generandam vel producendam, corruptio autem est recessus a forma corrumpenda.

Secundo, dico quod calor in semine vel alia virtus accidentaliter inherens potest in productionem anime sensitive, nec oportet dare alium datorem formarum neque celum neque terram neque intelligentiam. Hanc consequentiam probo dupliciter. Primo sic: quia corrupto generante a quo semen fuit decisum producit forma sensitiva; quero a quo: non ab illo a quo semen fuit decisum, quia non est; nec a forma substantiali seminis, quia illa est imperfectior anima sensitiva, et per communem opinionem causa non est imperfectior suo effectui; igitur etc. Et si dicatur quod calor vel virtus illa in semine producit animam sensitivam in virtute generantis et non propria; hoc non videtur, quia generans non est. Similiter illa virtus generantis aut est aut non est; si est, aut est substantia aut accidens; non substantia, quia substantia seminis est imperfectior anima sensitiva; nec aliqua alia forma, id est anima sensitiva¹⁵⁸, non producit a Deo, quia tunc poneremus <datore> formarum; nec etiam intelligentiam, quia secundum Augustinum tertio *De trinitate* materia corporalis non obedit intelligentie nisi mediante celo. Item, Commentator septimo *Metaphysice* commento 28 dicit quod impossibile est quod substantie separate transmutent materiam; non enim transmutat materiam nisi quod est in materia et in forma. Commento 31 dicit quod agens separatum non transmutat materiam nisi mediante corpore; et ideo impossibile est ut intelligentie dent aliquam formam etc.; et ideo si intelligentia producit, sequitur quod celum producit eam. Sed quod neque a celo tantum neque ab intelligentia tantum neque ab utroque simul producit anima sensitiva probatur: quia agens corporeum nihil mediante corpore agit distans nisi agat in totum medium secundo *De anima* et septimo *Physicorum*. In omni motu movens et motum sunt simul, quia si intelligentia mediante celo // 158 Ms. add. non

c. 102ra // ageret¹⁵⁹ in hec inferiora, oportet quod medium et corpus proximum recipiant vere virtutem a celo per quam agerent in hanc materiam inducendo animam sensitivam; et tunc sequitur quod ex quo hoc agens proximum habet virtutem in se, quod corrumperet etc. Secundo, proba eandem conclusionem sic: suppono quod si dispositiones que sunt in semine essent in alio subiecto producerent animam sensitivam in materiam sicut modo, ut si calor humidum et huiusmodi dispositiones essent similes omnia in aqua sicut in spermate, ita produceretur anima sensitiva ex aqua sicut modo ex semine. Tunc sic: illa que in quocumque reperiantur producunt animam sensitivam producunt illam propria virtute; dispositiones accidentales que sunt in semine sunt huiusmodi. Maior patet; minor confirmatur per experientiam manifestam: notum est enim quod ovum ex se non producit pullum sed per calorem extrinsecum in ? ab extra tam intrinsecum¹⁶⁰; immo pullus produci potest a calore proportionato extrinseco in quocumque subiecto reperiat: nam pullus anseris generatur ex ovo per calorem galline sicut per calorem anseris; ergo forma substantialis non est a forma substantiali, cum possit fieri a calore proportionato cuiuslibet substantie naturalis.

Alia experientia est de seminibus ex quibus generantur vermes componentes et facientes sericum, qui quidem vermes ex calore hominis ac etiam ex calore multorum animalium generantur, ut expertum est, immo etiam <si> in pannis calidis disponantur illa semina, generantur inde illa animalia; hoc autem non esset, <nisi>¹⁶¹ illa calor hoc faceret propria virtute.

159 **In marg. inf. 102r:** «Probatur quod anima immediate agat, quia secundum Aristotelem in secundo *De anima* et Commentator ibi commento 37: anima est in triplici genere cause, scilicet formalis, finalis et efficientis. Et dicit quod anima est illud quo primo est unde motus. Potest dici quod Aristoteles ibi accipit naturam large pro potentia anime, quod patet, quia Aristoteles statim subdit quod hec potentia non inest omnibus viventibus. Et Commentator ibi dicit quod hec virtus non inest omnibus viventibus. Ecce quod est potentia vel virtus que agit. Item, secundo *Physicorum* natura est principium motus et quietis, et natura dicitur de forma substantiali. Potest dici quod non pro forma accidentali est principium etc.; secundum quod loquitur de substantiali; et hoc probat per formam accidentalem dicendo quod ideo loquitur de forma accidentali naturali; sed hoc bene per formas accidentales artificiales. Unde per hoc distinguntur naturalia ab artificialibus, quia naturalia habent in se aliquam qualitatem que est principium motus, sed artificialia in quantum artificialia non habent in se principium motus nisi forte ratione sue materie que est naturalis».

160 *Ms. corr. ex extrinsecum*

161 *Ms.: si*

Conclusio principalis probatur per auctoritatem Aristotelis in *De sensu et sensato* in capitulo de corpore: ignis non agit in quantum ignis sed in quantum calidus; sed si forma substantialis ignis esset agens principale ista negativa Aristotelis falsa esset. Item, Aristoteles et Averrois primo *De generatione* capitulo de agere et pati volunt quod si esset calor separatus, posset calefacere; tunc si non est maior ratio quare remissus calor posset, si esset separatus, remisse calefacere quam summus summe; et si sic, igitur posset aquam corrumpere et per consequens ignem generare. Item, patet hoc theologice, quia in sacramento sanguinis Christi // c. 102rb // in calice remanent accidentia sine forma substantiali, et tamen si aque gutta ibi apponeretur vel aliud consimile, alterarent et agerent illa accidentia non minus quam prius; nam sapor alterat gustum sicut prius ante consecrationem et, licet sit mirum quia sunt absque subiecto, tamen quod habeant actiones proprias multum mirabilius est; igitur prius agebant virtute propria et pari ratione sicut de quocumque alio accidente activo. Commentator 12 *Methaphysice* commento 17 dicit quod virtutes que sunt in seminibus que faciunt animata non sunt animata in actu sed in potentia, id est in virtute, sicut domus que est in mente hedificatoris est in potentia domus. Et post dicit et semina non faciunt hec, scilicet animata, in actu nisi per calorem qui est in eis. Et Commentator ibidem dicit in eodem commento. Item, septimo *Methaphysice* commento 31 oportet quod elementa neque agant neque patiantur nisi per qualitates suas, non per formas substantiales. Et universaliter apparet quod non sunt hic potentie agentes nisi quatuor qualitates; et iste non sunt forme substantiales. Idem dicit Commentator 12 *Methaphysice* commento 18.

Sed moveo dubia circa predicta. Primum dubium est quia Aristoteles 7 *Methaphysice* capitulo 7 in fine, ubi est commentum 32, dicit quod proprium est substantie ut semper fiat a substantia preexistente in actu, in qualitate vero et quantitate potestate solum; et loquitur de causa agente.

Item, in eodem 7 eodem capitulo: omne quod fit¹⁶² et quod generatur fit a sibi simili; et hec est maxime vera in generatione substantie, ut etiam dicit Commentator secundo *Celi* commento 42.

Item, secundo *De anima*: unumquodque tunc est perfectum cum potest sibi simile in specie generare; cum ergo substantia sit perfectior accidente; igitur etc.

162 Ms.: fuit

Item, secundo *De anima* commento 41: calor est instrumentum anime; sed instrumentum non attingit effectum principalis agentis; igitur etc.

Item, per rationes: agens totale continet virtualiter effectum totaliter; sed accidens non continet substantiam; ergo etc.

Item, per rationem Avicenne: si minus perfectum producit magis perfectum, sequitur quod illud in quo effectus excedit causam producentem non esset productum, ex quo effectus per idem excedit causam.

Item, nichil agit ultra suam speciem.

Item, tunc omnis // c. 102va // generatio¹⁶³ substantie esset ignota.

Item, si imperfectius secundum speciem et genus posset producere perfectius, tunc ex caliditate et motu non posset concludi ordo in entibus.

Item, quia <cum> nullum agens in agendo attingat materiam primam, igitur in propria virtute non potest producere formam substantialem. Consequentia patet, quia <quod> non potest transmutare proprium immediatum susceptivum forme substantialis non potest introducere ipsam naturam agentis; non aliter introducit formam nisi transmutando quod est in potentia donec fiat in actu etc.

Item, per Commentatorem septimo *Methaphysice* commento 28 et in duodecimo *Methaphysice* commento 43 et in eodem duodecimo commento 47; cum ergo nullum sit subiectum forme et generationis, sequitur quod si accidens non attingit in agendo ipsam essentiam materie, quod non introducat formam. Antecedens etiam patet, quia si accidens in agendo attingit materiam primam, tunc posset generare in ipsa sibi similem. Consequens est falsum, quia materia prima sola non est subiectum accidentium sed compositum, ut elicitur ab Averroee in secundo *De anima* commento 4.

163 **In marg. inf. 102v:** «Potest etiam dici quod principium productivum determinans et mensurans est duplex: quoddam est determinans intrinsecum, et talis est determinatus gradus caloris, ut si esset calor in duobus gradibus separatus calefaceret in duabus gradibus, quantum est ex se. Aliud est determinans extrinsecum, et tale potest esse subiectum agens, nam quia ad formam ignis sequitur talis calor in tali gradu, hinc est quod calor ignis fieri desinit usque ad talem gradum. Etiam ista determinatio aliquando contingit ex dispositione passi, etiam aliquando contingit ex alio accidente, puta faber ex arte vel specie<s> in anima determinat et mensurat calorem ad faciendum cutellum; modo quia agens determinans sive intrinsecum sive etiam ab arte est tale, quia sic consequitur ad agens determinans extrinsecum, puta subiectum, si agens hoc est quod dicitur quod substantia est principalis agens, quia est illud a quo primo sumitur denominatio».

Item, ubicumque est ordo accidentalis in agentibus, oportet ibi dare extra illum ordinem aliquid quod sit causa equalis essentialis totius illius multitudinis; sed inter calorem generatum et generantem est ordo accidentalis; ergo extra illum ordinem est dare aliquid quod est causa essentialis totius multitudinis; ergo, cum in causis essentialibus non sit procedere in infinitum secundo *Methaphysice*, ergo est dare causam effectivam totius multitudinis, que quidem sit de genere substantie.

Item, subiectum est causa effectiva proprie passionis, quia non est solum in potentia contradictionis; sed inter subiectum et propriam passionem non est medium; ergo illud subiectum causat accidens.

Item, forme eiusdem speciei active possunt in effectum eiusdem rationis; sed calor elementaris et animalis sunt eiusdem speciei, et calor elementaris potest in formam ignis; igitur et calor animalis, quod est falsum.

Ad primum, premitto duplicem distinctionem. Prima est quod productivum seu generativum est duplex: quod et quo. «Productivum» quod est illud quod includit quo, sicut calidum est principium productivum quod et calor quo. Secunda distinctio est quod principium productivum quod et // c. 102vb // quo est etiam duplex: scilicet principium productivum determinativum seu determinans et principium transmutativum seu transmutans. Illud quod determinat principium transmutativum ad agendum vel ad sic et sic agendum dicitur principium effectivum, ut in voluntariis dicitur conciliator; in naturalibus applicans activa passivis dicitur efficiens, sicut applicans ignem domui dicitur comburens domum, quia determinat ignem ad transmutandum domum, tamen sic applicans non transmutat domum, sed solum determinat ipsum transmutans ad transmutandum applicando ipsum transmutabili. Productivum autem quod transmutat in naturalibus est totum aggregatum ex substantia et qualitate; verbi gratia ignis calidus seu aggregatum ex igne et calore est productivum eius quod transmutat. Substantia vero composita que est subiectum qualitatis active est productivum quod¹⁶⁴ determinans, quia determinat qualitatem activam ad certum gradum vel ad certam latitudinem graduum, quia calor in alio gradu consequitur ignem et in alio consequitur aerem, et in alio corpus animatum, et in alio mixtum inanimatum. Et ita substantia composita determinat et

164 Ms.: qua

mensurat qualitates activas et passivas, et sic est efficiens quod determinans, non autem transmutans nec virtutem applicans. Eodem modo distinguo de productivo quo, quod est duplex: scilicet quo determinans et quo transmutans; forma substantialis est quo determinans, quia determinat qualitatem ad certum gradum qualitatis; qualitas vero activa est principium quo transmutans.

Ad auctoritatem¹⁶⁵ igitur dico quod sola qualitas in generatione est principium productivum quo transmutans; forma tamen substantialis est principium quo productivum determinans. Dico etiam quod totum aggregatum ex substantia et qualitate activa est principium productivum quod transmutans, tamen substantia composita est principium productivum quod determinans. Ad auctoritatem igitur dico quod substantia non fit nisi a substantia in actu tamquam a principio productivo determinante, sed non tamquam a principio transmutante; sed sic sola qualitas vel aggregatum ex substantia et qualitate est principium transmutans.

Sed quia Aristoteles dicit etiam quod quale aut quantum // c. 103ra // non¹⁶⁶ est necessarium, scilicet quod precedat generationem, nisi potestate et virtute solum. Unde videtur quod qualitas non fiat a qualitate, immo immediate a substantia; et sic solutio data non sufficit. Ideo aliter dicitur ut dicit Commentator ibi commento 30, scilicet quod non est necessarium nec universaliter verum quod qualitatem generatam precedat qualitas in actu eiusdem rationis, scilicet quia qualitates quedam generantur a sibi simili, verbi gratia calor a calore; alia est cuius generatio sequitur formam mixtionis qualitatum primarum, verbi gratia calores, et de tali est verum quod non fiunt ab alia eiusdem rationis, cum non sint active. Sed ex hoc non sequitur: ergo fiunt immediate a substantia, immo fiunt ex consequenti et facientem mixtionem primarum qualitatum; tale quod est¹⁶⁷ quod qualitas activa; quantitas etiam fit eodem modo, scilicet termi-

165 *Fortasse* Averroem

166 **In marg. inf. 103r:** «Sed contra omne determinans est agens producens, sed substantia est determinans etc. Maior probatur, quia si nihil producit, frustra est. Negatur maior et dicitur quod substantia, puta ignis, subiecta calori agenti est determinans calorem ad agendum; que substantia in comparatione ad calorem est sicut causa materialis, sed in comparatione ad effectum est agens per accidens necessario requisitum ad actionem caloris tamquam subiectum caloris. Idem duodecimo *Methaphysice* commento 12 auctoritate Alexandri, quia dicit quod aliqua substantia fit ex sibi convenienti in quantum? ut mulus ex asino et equa simillima mulo in materia communi».

167 *Ms. add.* quod

nata, quia non est de formis activis. Quomodo autem substantia fit a sibi simili in specie statim dicetur.

Ad secundam cum dicitur quod omne quod fit etc.; verum est tamquam a determinante¹⁶⁸, non tamen semper < tamquam >¹⁶⁹ a transmutante.

Ad tertiam concedo quod substantia potest generare sibi simile determinando principium transmutativum ad certum gradum; substantia tamen nunquam producit sibi simile tamquam productivum transmutativum.

Ad quartam de instrumento, dicendum quod principium transmutativum dicitur instrumentum respectu principii determinantis, et principium determinans dicitur principale agens non quia virtutem suam applicet ad opus aliquod transmutando, sed quia mensurat principium transmutativum in ordine ad transmutationem ad operationem, quomodo ars fabrilis dicitur principale agens in factione cutelli, et calor quem ars fabrilis mensurat ad suam operationem dicitur eius instrumentum. Sed certum est quod ars fabri non transmutat materiam, sed solum mensurat calorem secundum quod competit sue actioni; sic igitur dico quod calor est instrumentum anime, quia mensuratur et determinatur ab anima ad certam operationem exercendam. Et isto modo accipiendo 'instrumentum' calor ignis est instrumentum eius, licet sit immediatum et primo transmutativum principium; et tunc illa auctoritas adducta supra scilicet quod omnis qualitas fit ab aliquo sibi simili, potest intelligi de agente non instrumentali¹⁷⁰ // c. 103rb // et per consequens non est contra principalem conclusionem. Isto etiam modo glosat eam Commentator duodecimo *Methaphysice* commento 24; et notandum quod Commentator ibidem commento 24 dat tres conditiones que requiruntur ad veritatem huius propositionis, scilicet quod valet in agente propinquo non remoto, et in agente non instrumento, et in agente essentialiter non accidentaliter; aliam autem addit, immo principalem, commento 28, scilicet quod vera est in generatione seu factione accidentali et non essentiali. Item secundo *Celi* commento 42 addit aliam, scilicet quod non est simpliciter vera in generatione accidentium. Et sic apparet quod cum labore potest eas verificare. Et sic ad auctoritates.

168 Ms. *add.* vel tamquam a transmutante

169 Ms.: quantum

170 Ms.: instrumento

Ad rationem principalem dico dupliciter. Primo sic: quod 'continere aliquid virtualiter' est dupliciter: vel secundum gradum perfectionis et nobilitatis, vel secundum gradum causalitatis seu activitatis. Et ille continentie sunt diverse, quoniam species universi se habent ut numeri, ita quod sicut numerus maior continet minorem, ita species perfectior continet speciem imperfectiorem secundum gradum nobilitatis et perfectionis. Et tamen notandum est quod non omnis species perfectior continet imperfectiorem secundum gradum causalitatis et activitatis; nam intelligentia superior continet inferiorem secundum gradum nobilitatis et perfectionis, non tamen secundum gradum activitatis, quia intelligentia superior non producit inferiorem intelligentiam. Ad formam igitur rationis dico quod causa totalis debet continere effectum virtualiter secundum gradum activitatis, non tamen oportet quod secundum gradum nobilitatis et perfectionis. Et ita concedo quod causa <im>perfectior continet formam substantialem ignis secundum gradum activitatis, quia continet ipsam in sua virtute activa, non tamen oportet quod contineat ipsam secundum gradum perfectionis.

Secundo dico ad rationem quod aliquid produci ab aliquo potest esse dupliciter: vel primo et principaliter et immediate, vel per modum sequele. Causa igitur effectiva totalis continet effectum primum et principalem virtualiter, effectum autem qui est sequela non oportet quod contineat. Primus igitur et immediatus effectus caloris est alteratio, effectus per modum sequele est forma substantialis; ideo calor continet virtualiter totam alterationem precedentem, sed non formam substantialem.

Ad confirmationem Avicenne, quia si effectus excederet causam illud in quo effectus excedit causam non esset ab aliquo, dico quod non sequitur, immo potest esse // c. 103va // quia illud in quo effectus excederet causam fit ab alia causa; nec est inconveniens quod perfectius in entitate sit ab imperfectiori.

Ad tertiam rationem de ultra suam speciem, dico quod illa est magistralis et multum famosa et ideo, quamvis nihil probabilitatis contineat, tamen propter eius famositatem distinguo eam, quia potest habere duplicem intellectum: unum quod nihil agit ultra suam speciem et ultra suam speciem perfectius, et sic eam nego. Aliter hec est: ultra activitatem sue speciei et nihil agit aliquid quod non continet in sua virtute activa; sic concedo et dico quod forma substan-

tialis non est ultra activitatem forme accidentalis. Sed dicetur quod activitas forme non est aliud quam sua activitas et sua perfectio; igitur quod continet aliquid secundum activitatem continet illud secundum entitatem. Dico quod quamvis hec activitas et hec entitas seu perfectio sint idem secundum rem, tamen activitas in communi et entitas in communi non sunt eadem. Multa enim sunt entia que non sunt activa nec oportet quod illud quod est magis activum sit magis ens nec e converso. Nec autem calor excedit formam substantialem in activitate in communi vel forte non sunt comparabiles in activitate, sed ex hoc non sequitur quod calor excedit formam substantialem in activitate in communi vel in perfectione in communi.

Ad quartam de generatione equivoca, dico quod non sequitur, quia tunc generatio est equivoca quando est producens quod differt specie a toto producto; modo substantia composita est producens quod in generatione alterius substantie, sed non est generans transmutans, sed generans determinans principium transmutativum ad certum gradum etc. Similiter productivum quo determinativum eiusdem speciei est cuius terminus productus in generatione substantie, et hoc sufficit non univoce, quia sunt diversorum generum, nec equivoce, quia causa equivoca est nobilior suo causato, quod non est in proposito.

Ad confirmationem que erat quod si accidens producit substantiam aut equivoce aut univoce etc.; dico quod si calor esset separatus, produceret substantiam equivoce; nec oportet universaliter quod causa equivoca sit nobilior suo effectui et equaliter enim quod differat specie; nobilitas autem et innobilitas in quantum huiusmodi accidit eis.

Ad quintam dico quod // 103vb // per activitatem que est per transmutationem materie et abiectioem contrarii non potest probari nobilitas vel ordo in entibus.

Ad sextam dupliciter dicitur. Primo, negando antecedens; secundo, negando consequentiam. Prim^o¹⁷¹, potest negari quod agens in substantiam compositam agit in primam materiam, quia actio que recipitur in substantia composita recipitur in qualibet parte eius, quia non est imaginandum quod forma substantialis mediet inter materiam primam et accidentia, nec impedit eam in materia recipi sicut camisia tunicam etc. Alio modo respondetur negando con-

171 Ms.: primum

sequentiam: nam quando est aliquod subiectum quod transmutatur transmutans aliud subiectum? non oportet quod agens quod per actionem suam attingit totam transmutationem attingat per actionem suam terminum transmutationis extrinsece. Et ideo aliquid potest per actionem suam inducere formam substantialem in materia, quamvis actio sua non attingat materiam, quia in inductione forme substantialis non manet actio transmutantis, sed terminata est. Aliter dico quod conclusio vera est; et probatio efficax, sed antecedens est falsum. Et cum probatur quod si accidens attingit materiam posset in ea generare etc.; conceditur et hoc est necessarium, et ipsa est accidentium subiectum primum; nam accidenti repugnat pati et recipere secundum Commentatorem in *De substantia orbis*; sed forma, ut est pars compositi, est actus; ergo sibi repugnat recipere. Illud autem quod convenit alicui toti sic quod parti eius, ut pars est, repugnans, tale non competit sibi primo, sed bene ratione alterius partis; ita est in proposito: nam illud¹⁷² tantum recipit formam quod solum est in potentia, et materia et non compositum est in potentia omnes forme tam substantiales quam accidentales, ut patet primo *Physicorum* commento 69 et etiam in aliis locis.

Ad septimam concedo illam et dico quod est dare primam speciem activam de genere accidentis, et illa vel est lumen vel aliqua alia qualitas corporis celestis. Et secundum philosophos illa est eterna et non est producta, vel secundum theologos est a Deo effective sicut celum. Nec oportet dare aliam substantiam preter Deum que sit causa effectiva illius accidentis.

Ad octavam de passione, dico quod subiectum respectu proprie passionis est tantum causa materialis et non effectiva. Quod patet, quia si subiectum efficeret passionem suam vel igitur // c. 104ra // quando¹⁷³ est vel quando non

172 *Ms. add. et del. totum*

173 **In marg. ext. 104r:** *non legitur.* **In marg. inf.:** «probatur quod anima seu forma substantialis non sit principium vel agens determinans, quia quod ex se est indifferens determinabile, per aliud non est determinans; sed anima est huiusmodi; ergo etc. Maior patet; minor probatur per Aristotelem in primo *De anima* et Commentatorem commento 65, ubi dicit quod si senex haberet oculum iuvenis utique videret sicut et iuvenis. Unde anima non sic vel sic videt nisi quia habet organum sic vel sic dispositum, quia forma accidentalis potius est determinans. Similiter anima nutritiva vel digestiva sic vel sic bene vel male nutrit vel digerit, quia habet organum sic dispositum; potest dici quod anima vel potentia anime determinat calorem ad operationem caloris secundum speciem, puta ad nutriendum vel digerendum, sed calor vel complexio determinat ad sic vel sic dirigendum in operatione eiusdem speciei. Vel aliter potest dici quod anima determinat calorem ad operationem talem secundum speciem, sed calor modificat et determinat

est; non secundum, quia nihil efficit quod non est; nec primum, quia quando subiectum est, passio est. Illud autem quod est non eget causa effectiva, immo sibi repugnat.

Et si dicitur quod si tantum est causa materialis potest relinquere suam propriam passionem, dico quod non sequitur, quia materia prima habet suas proprias passiones respectu quarum est in potentia passiva tantum; nam ipsa non est principium effectivum alicuius, et tamen non potest suas passiones relinquere.

Et quando dicitur: omnis potentia passiva est potentia contradictionis; dicendum quod verum est de potentia passiva recipiente aliquam formam de novo per transmutationem. Modo secundum subiectum non recipitur de novo passione propria per transmutationem subiecti, quia si sic, subiectum esset aliquando sine propria passione, quia quod transmutatur ad aliquid caret illo, ut patet primo *Physicorum* circa finem.

Ad nonam dicendum quod calor ignis et animalis sunt eiusdem speciei, sicut ostendetur in tertia conclusione principali, nec propter hoc sequitur quod possit in effectum eiusdem speciei, quia non sunt sub eodem gradu.

⟨Secunda conclusio, quid scilicet inducit formam mixti in ultimo instanti temporis mensurantis transmutationem elementorum inter se⟩

Ad secundam conclusionem principalem in qua quidam faciunt difficultatem maxime de generatione mixti ex quatuor elementis, quid scilicet indu-

animam quantum ad modificationem operationis que est sic vel sic operare. Nam ponatur quod ego sim calidus in primo gradu, calor iste in primo gradu sic determinatus et mensuratus ab anima potest in digestionem vel nutritionem etc. Immo etsi calor in primo gradu esset vel ponatur in aqua, certe non posset in nutritionem vel digestionem etc. et hoc est quia calor in aqua non habet illam determinationem ab anima. Si dicitur anima est causa determinati augmenti ut patet secundo *De anima* commento 41; dicendum quod anima est causa determinati augmenti secundum extensionem ad quam potest species et infra quam non potest, verbi gratia natura humana potest salvari cum quantitate 8 vel 10 brachiorum ad plus et unius brachii ad minus; et quantum ad hoc anima est determinans. Sed intra illos terminos secundum plus vel minus calor vel complexio est determinans animam, quia si est calide complexionis cum materia apta extendi fit ⟨maior⟩ (*ms.*: minor) homo, si e contrario fit minor, semper tamen intra dictos terminos».

cit formam mixti in ultimo instanti temporis mensurantis transmutationem¹⁷⁴ elementorum inter se, quia non inducitur tunc ab elementis, quia non sunt, nec a celo ad quod recurrunt. Dico igitur quod in primo instanti non requiritur agens pro tunc inducens formam, quia pro tunc forma est inducta, sed sufficit quod fuit inducens toto tempore precedente. Hanc conclusionem probo quinque rationibus, scilicet quod in instanti inductionis forme substantialis in materia non requiritur pro tunc introducens formam illam. Primo, probatur sic: cui non repugnat aliquid pro aliquo instanti, pro nullo instanti sibi repugnat illud; sed forme producte in aliquo instanti alio ab illo in quo est primo producta non repugnat non habere causam agentem; igitur forme producte pro nullo instanti non repugnat non habere causam agentem. Maior patet, quia repugnantia est ratione naturarum; sed nature manent eedem, igitur etc. Minor probatur, quia forme producte post primum instans in quo est producta // c. 104rb // non repugnat non habere causam agentem; ergo etc.

Secundo, per differentiam inter formam successivam et permanentem: et est quod forma successiva, quia semper est in fieri et in potentia, ideo semper requirit causam efficientem; diceretur forma autem permanens que fit tota simul, quando est non requirit causam efficientem. Cum igitur in primo instanti in quo iam inducta est forma substantialis, subito tota forma facta est, tamen¹⁷⁵ pro tunc non requirit¹⁷⁶ aliquod agens nec efficiens.

Tertio sic: in illo instanti in quo non manet in materia potentia non requiritur pro tunc producens formam; sed in primo instanti in quo forma est inducta in materia non manet in materia prima potentia ad illam formam; ergo etc. Probatur maior per Commentatorem primo *Physicorum* commento 47: potentia ad formam corrumpitur forma adveniente; cum igitur in primo instanti inductionis forme sit in materia; igitur etc.

Et si dicitur quod quando materia recipit formam, tunc potest eam recipere, sed in ultimo instanti alterationis recipit eam non ante; ergo tunc potest, et per consequens tunc est in materia potentia; dicendum quod per 'recipere' intelligere possumus vel 'fieri' vel 'factum esse'. In ultimo instanti est primo

174 Ms.: transmutationis

175 Ms. *add.* non

176 Ms.: requirat

receptum esse forme, hoc est tunc primo est verum dicere forma est recepta in materia; tunc autem materia non est in potentia, ut potentia opponitur actui.

Quarto sic: corruptio subita non requirit agens in actu in instanti corruptionis quo subito facta est; ergo nec generatio. Consequentia est nota; sed antecedens probatur, quia elementa per transmutationem eorum ad invicem corrumpunt se; sed pro instanti corruptionis subite elementorum elementa non sunt in actu, sed sunt corrupta; igitur etc.

Item, probatur antecedens de duobus minimis contrariis, que sint minima secundum portionem materie et secundum omnes dispositiones quas dare convenit: si in instanti primo in quo talia minima sunt in distantia qua se mutuo possint alterare et in se agere, tunc primo non sunt, et tamen nulla causa est actu faciens non esse pro illo instanti; igitur etc.

Quinto, ponamus quod calidum intensum agat in frigidum remissum quousque illud frigidum corrumpatur; passum communicans in materia reagit; in ultimo igitur instanti temporis mensurantis transmutationem factam a frigido in calidum aliquid (// c. 104va // est¹⁷⁷ primo inductum a frigido in calidum,

177 **In marg. ext. 104v** partim non legitur; «Probatur quod calor elementaris et animalis differant specie illa specie differentia qua unum necessario corrumpitur per intensionem alterius; sed calor animalis vel naturalis corrumpitur per intensionem caloris elementaris; ergo etc. Maior patet, quia convenientia in specie (...non legitur) quarto illa differunt specie que requirunt sua prima subiecta diversa secundum speciem; sed ista sunt huiusmodi; igitur etc. Maior probatur: nam unumquodque accidens debet habere aliquod primum subiectum cui primo inest, aliter esset processus in infinitum. Si ergo ipsa subiecta sunt diversa secundum speciem et ipsa debent differre secundum speciem, quia si essent eiusdem speciei, tunc inesset illis per aliquam materiam communem, ut patet primo *Posteriorum*; et sic illa res fuisset illa substantia. Minor patet, quia calor naturalis est in specie vel est species qui est instrumentum anime. Hoc vult Galienus in quinto *De simplici* capitulo in quo agit de substantia medicine aperitive; calor autem elementaris est in parte elementari que est intrinseca pars nostri corporis». **In marg. inf.:** «Item sic: quia calor celestis aut dicitur celestis quia subiective est in celo aut quia effective est a celo. Si primo modo, tunc non est eiusdem speciei cum elementari secundum Averroem in secundo tractatu *De substantia orbis* ubi movens dubitationem an corpora celestia sint calida, dicit primo quod si etiam non essent calida, possent tamen calefacere propter motum velocem et etiam propter illuminationem. Vel forte si sint calida, tunc calor diceretur equivoce, quia actiones diversificantur; nam calor ignis corumpit et celestis vivificat. Unde calor duplex est, scilicet qui est qualitas activa et passiva, et calor qui est qualitas activa non passiva. Unde tales qualitates in?? in elementis dicuntur equivoce secundum prius et posterius; nec secundo modo, quia calor etiam elementaris in illo modo est celestis. Si essent eiusdem speciei, tunc genita per putrefactionem possent (et *exp.*) etiam generari a calore animali vel elementari, quod est falsum».

scilicet quia terminus totius illius transmutationis tunc est primo inductus, et tamen pro tunc non habet agens inducens illum terminum, quia in illo instanti frigidum est corruptum. Eodem modo arguitur in inductione forme substantialis, quod pro instanti inductionis subite non requiritur agens pro tunc inducens.

Contra illam conclusionem arguitur sic: effectus particularis in actu requirit causam particularem existentem in actu, ut patet secundo *Physicorum* et quinto *Methaphysice*; sed generatio illa subita est effectus particularis in actu; igitur etc. Sed non requirit causam quando non est, ergo quando est.

Secundo, sic ad idem: omnis actus <primus>¹⁷⁸ presupponit pro mensura qua est requirit operans in actu a quo est ille actus secundus; sed generatio subita est quidam actus secundus; ergo etc.

Tertio, quia apparet quod illa que subito inducuntur sint causam in actu et pro quocumque instanti sol non esset lumen; contra: requiritur; igitur et de generatione subita.

Ad primum dico quod generatio subita forme substantialis non est aliud quam forma substantialismet. Probat, quia vel est substantia vel accidens: non primum, quia nec materia nec alia forma nec compositum; non accidens, quia omne accidens receptum in materia simul cum forma substantiali est posterius ipsa forma substantiali et sequela eius, ut patet inductive; sed generatio non est posterior forma substantiali nec eius sequela, sed magis e converso. Similiter: cum ipsa generatio sit quid novum, generabitur, large sumendo generationem scilicet pro omni factione; et tunc queram de illa tali factione an differat: si sic, proceditur in infinito, quia pari ratione de aliis; si non, igitur nec prima nec fiet aliqua ratio probans quod generatio forme substantialis differat ab ea que non eque concludat quod illa factio generationis etiam differat ab ipsa.

Dico igitur ad primum quod effectus particularis in actu in fieri requirit causam in actu in facere; sed generatio subita non est effectus in fieri, immo in facto esse, quia verius dicitur primo generatum esse quam generari vel generatio.

Ad secundum dico quod illa generatio non est actus secundus sed primus, quamvis significetur ut actus secundus. Est enim, ut dictum est, res que est forma. Et probatur, quia si esset actus secundus dis// c. 104vb // tinctus realiter

178 Ms.: presupponit

a forma aut durat per instans tantum aut plus quam per instans; non secundum, quia diu durare requirit agens in actu per te, et tamen per te post primum instans non requirit agens. Item, sicut tunc in instanti primo per illum actum secundum dicitur aliquid subito generari, ita adhuc posterius dicitur; consequens est falsum, ut patet. Nec potest dari primum, scilicet quod tantum per instans duret, quia aut corrumpitur vel desinit quando est, et tunc simul erat et non erat; vel desinit in alio instanti vel tempore, scilicet in alio instanti; igitur durat plus quam per instans, quia inter quelibet duo instantia est tempus medium sexto *Physicorum* et quarto. Si autem desinit in tempore, igitur successive, et per consequens pars ante partem. Et sic habetur primo quod aliqua pars eius durat plus quam per instans nullo? instanti?; secundo etiam quia non erit subita et indivisibilis, et multa alia que considera hic.

Ad tertium dico quod quedam sunt forme que continue sunt in fieri que requirunt non solum causam efficientem, sed etiam semper, dum sunt, requirunt causam perfectiorem conservantem, cuiusmodi est lumen, imaginatio etc.; talia et tales requirunt efficiens et conservans proprius quando facte sunt, quia consistunt in continuo fieri; et ideo dicit Augustinus quod lumen non est factum in medio, sed fit in medio. Alie sunt forme permanentes que proprie sunt facte, et ille quando sunt facte non requirunt agens non plus pro primo instanti quam pro quocumque alio posteriori.

«**Conclusio tertia quod calor celestis, animalis et elementaris sint eiusdem speciei athome**»

Tertia conclusio principalis, scilicet quod calor celestis, animalis et elementaris sint eiusdem speciei athome probatur quadrupliciter. Primo sic: calor celestis aut dicitur celestis quia est in celo subjective; et hoc non, quia recipit peregrinas impressiones sive mutationes; aut quia a celo effective. Et cum calor elementaris et animalis sint etiam a celo effective dicente Aristotele primo *Methaurorum* quod causa effectiva omnium dispositionum hic inferius, vel saltem dispositionum primarum cuiusmodi sunt caliditas, frigiditas etc. Confirmatur per Commentatorem in *De substantia orbis* qui dicit quod causa // c. 105ra // calefaciens¹⁷⁹ que in calefaciendo patitur reducitur ad calefaciens impassi-

179 In marg. sup. 105r: «Galienus in secundo *Regiminis acutorum* commento 12 dicit quod

bile; sed ignis in calefaciendo patitur; igitur reducitur etc. Et ita ignis non est principium calefaciens, immo corpus celeste; sed primum in omni genere est causa posteriorum.

Secundo sic: habent eundem effectum, scilicet calefacere et essiccare etc.

Tertio sic: sicut calor elementaris potest intendi et remitti, ita celestis et animalis possunt; ergo isti duo tantum <possunt> intendi et elementaris remitti, quod venient ad consimilem gradum; tunc sic: calores qui sunt in consimili gradu et possunt in eandem operationem secundum speciem sunt eiusdem speciei; tales sunt isti; igitur etc.

Quarto¹⁸⁰ sic: plus differt calor ignis et aeris quam calor ignis et animalis, quia calor animalis est intensior quam calor aeris, et ita plus accedit ad calorem ignis; sed calor ignis et aeris sunt eiusdem speciei, aliter essent plures qualitates tangibiles prime quam 4; et per Commentatorem et Aristotelem in secundo *De generatione* ex aere generatur ignis; tunc qualitas simbola, scilicet caliditas, est eadem numero vel saltim eadem specie; ergo multo fortius alii.

Contra conclusionem illam arguitur sic. Primo, quia isti calores habent contrarios effectus, ideo differunt specie. Antecedens probatur, quia calor celestis salvat et vivificat secundo *De generatione animalium* et duodecimo *Methaphysice*.

Item, secundo *De generatione animalium* dicit quod in qualibet parte corporis animalis sunt isti tres calores, igitur non sunt eiusdem speciei.

Propter evidentiam huius rationis est sciendum quod calor in gradu in quo <competit>¹⁸¹ complexioni naturali dicitur animalis; secundum autem quod a celo est effective dicitur celestis; secundum autem quod ab igne dicitur elementaris. Per hoc ad primum dico quod sicut calor ignis intensus ultra gradum con-

caliditas seminis est vehemens si caliditas innata est equalis. Item, Averroys in tertio *Colliget* in capitulo 3 dicit quod caliditas scilicet febrilis est terminatio caloris naturalis in quantitate et qualitate». **In marg. ext.** non legitur. **In marg. inf.:** «Item, idem probatur ex alio sensato. Videmus enim quod si mulier teneat ovum in sinu vel ovum stet in loco valido, exinde generatur pullus, quod non esset nisi calor in virtute propria non produceret formam substantialem et animam. / Item, si pro tunc equaliter agens tunc magnus ignis numquam corrumpere modicam aquam. Tenet consequentia, quia omne agens materiale in agendo repetitur, sed per te ignis agit in instanti, ergo in eodem instanti patitur, sed pro tunc non est aqua, ergo aliquando est actio sine agente».

180 Ms.: quatuor

181 Ms.: complete

venientem complexioni animali salvat animal, et <calor celestis> intensus ultra gradum convenientem corrumpit animal, ut patet in fervente <e>state; et ideo tam unus calor quam alius corrumpit et salvat animal in alio et alio gradu; verum est ergo quod calor corrumpit // c. 105rb // animal in alio gradu et in alio salvat.

Ad secundum dicendum quod non sunt tres calores in eadem parte corporis animalis, sed idem calor numero, licet secundum diversos respectus vel habitudines dicantur diversi calores.

Hic est unum dubium, quia si calor celestis et animalis sunt eiusdem speciei, tunc generata per putrefactionem a calore celesti possent etiam generari a calore animali et elementari. Secundo, concedo conclusionem quod si calor ignis posset regulari et in gradu convenienti commensurari sicut calor celestis, sic generaret animal sicut calor celestis.

<Conclusio quarta: contrarie forme, scilicet albedo et nigredo, raritas et densitas etc. sunt eiusdem speciei athome>

Quarta conclusio principalis est quod contrarie forme, scilicet albedo et nigredo, raritas et densitas etc. sunt eiusdem speciei athome, quam probo tripliciter. Et primo de raritate et densitate fundando rationem meam super demonstrationem Aristotelis quarto *Physicorum* capitulo de vacuo et Commentatoris ibidem commento 71, ubi volunt quod eadem est proportio medii ad medium in quo grave movetur in spissitudine seu densitate et tenuitate seu raritate que erit tempus appositum in motu facto in uno medio et tempus appositum in motu facto in alio. Et hoc Commentator ibidem demonstrat contra Avempace. Tunc arguitur sic: si per duo spatia equalia, puta decem cubitorum, idem mobile movetur in tempore equali, et unum spacium sit plenum corpore raro et aliud sit plenum corpore denso, sequitur quod raritas et densitas sint eiusdem speciei; sed hoc contingit; quare etc. Probatur maior, quia, cum maior et minor resistentia precipue causaretur ex maiori vel minori densitate, si utrobique est eadem resistentia, utrobique erit eadem densitas seu eadem raritas; si esset utrobique eadem resistentia si in equali tempore idem mobile moveretur ceteris paribus. Minorem probo: assumantur duo spatia equalia unum plenum corpo-

re denso etc., et volo quod densum remittatur quantum potest versus rarum et raritas etiam versus densitatem // c. 105va // aut ergo ille forme habent minimum intrinsece secundum speciem ultra quod non contingit remitti, aut non. Si primum, accipio predicta spacia plena deducta ad minimum secundum speciem et quero an mobile moveatur in utroque in equali tempore vel non; si sic, habeo intentum; si non, sed in pluri tempore movetur per medium densum quam per rarum, accipio illud plus de tempore in quo excedit densum ipsum rarum, et sit una hora, vel sicut vis, ita quod unum tempus sit 4 horarum et aliud 5; volo tunc quod densum amplius rarefiat; hoc enim est possibile <quod> per aliquod agens summe rarum in tantum continue rarefiat quod motus fiet in ipso per 4 horas et dimidiam. Quero tunc aut tale spatium <est>¹⁸² densum vel rarum vel neutrum; non neutrum nec densum, quia positum erat minimum; ergo rarum. Et similiter fit ratio ex parte rari minimi remittendo ipsum versus densum; oportet igitur finaliter quod in equali tempore moveatur per utrumque spatium. Si autem dicatur quod non habeat minimum intensive, quod verius credo, igitur multo fortius potuerunt tantum remitti versus se invicem quod mobile in equali tempore transibit utrumque. Et sic patet minor; ergo etc.

Preterea accipio aliquod summe densum, puta terram, et debeat ex ipsa generari ignis qui est summe rarus; partes terre non cessabunt continue rarefieri quousque veniant ad raritatem convenientem ipsi, ut vult Commentator in *De substantia orbis*; et patet etiam ratione, quia rarefactio, ut dicit Commentator septimo *Physicorum* commento 15, nihil aliud est quam transmutatio alicuius ad maiorem quantitatem et ad maiorem occupationem loci; cum ignis in nulla occupatio loci maior fiat nisi successive; igitur etc. Tunc arguitur sic: aut densitas terre habuit minimum intensive aut non; quicquid sit, sequitur quod aliqua densitas det partibus subiecti eundem locum occupare et eundem ad invicem distare sicut aliqua raritas; igitur sunt // c. 105vb // eiusdem speciei athome. Probatio assumpti: si enim detur quod densitas habeat minimum gradum, oportet quod ille gradus desinat in instanti, tum quia est minimus, et minimo repugnat corruptio successiva, alias non esset minimus; tum etiam quia rei permanentis, sicut est densitas, quando est in corrumpi, est dare primum instans non esse, sicut primum instans esse quando generatur; in illo ergo instanti ge-

182 Ms.: sit

neratur necessario aliquis gradus raritatis in eodem subiecto, quia corruptio unius est generatio alterius necessario, alias pro tunc subiectum non esset sub aliquo oppositorum, quod est inconueniens. Aut igitur partes subiecti sub illo gradu raritatis generato tantum de loco occupant, et tandem distant eius partes sicut sub minimo densitatis, aut non. Si primum, habeo propositum, scilicet quod aliquis gradus raritatis et densitatis dicunt idem esse puntuale, et per consequens eiusdem speciei; si autem non eundem, igitur sive plus sive minus, sequitur quod in instanti fiat motus localis; nam non potest maior vel minor locus occupari ab eisdem partibus qualitatis sine motu locali, et per consequens nisi successive. Si vero detur quod densitas non habeat minimum intensive, sed potest in infinitum remitti remanendo in eadem specie, ergo raritas ignis et densitas terre differunt solum secundum magis et minus, et per consequens sunt eiusdem speciei, ergo etc. **Supra dicta fuerunt addita ab aliis.**

Sed principalis auctor probat dictam quartam conclusionem rationibus et auctoritatibus, scilicet quod calor et frigus, albedo et nigredo sunt eiusdem speciei specialissime. Istam conclusionem probavi per rationes et auctoritates.

Per rationes primo loyce, secundo physice, tertio per rationem moralem, quarto per rationem medicinalem.

Prima ratio talis est: quando aliqua duo equaliter distant distantia formali a perfectissimo in aliqua specie, si unum illorum duorum sit in illa specie, et reliquum erat in illa specie; et sic si illud // c. 106ra // quod est remotius a perfectissimo sit in eadem specie cum perfectissimo, illud quod est propinquius propinquitate formali erit in eadem specie cum perfectissimo. Hoc apparet ex determinatis in loyca. Dicit enim auctor *Sex principiorum* capitulo de causa susceptionis magis et minus quod illud est magis tale quod magis accedit ad summum tale, et illud est minus tale quod magis distat a summe tali; verbi gratia illud est albius quod est propinquius albissimo, et illud est minus album quod magis distat ab albissimo. Et idem vult Philosophus in *Thopicis* et etiam quinto *Methaphysice* capitulo de priori. Et loquor de distantia et propinquitate formali. Sed est dare aliquam caliditatem et aliquam frigiditatem que eque distant distantia formali a summa caliditate, et est dare aliquam frigiditatem propinquiorum summe caliditati aliqua caliditate data; igitur cum quolibet caliditas data sit in eadem specie cum summa caliditate, et per consequens caliditas et frigi-

ditas sunt in eadem specie. Et volo semper loqui de distantia et propinquitate formali ipsarum formarum cum loquor de distantia et propinquitate ipsarum. Maior huiusmodi rationis plana est et determinata in loyca. Sed probo minorem quoad utramque partem. Et suppono duo fundamenta declarata ab Aristotele in scientia naturali: primum est quod rei permanentis de novo producte in esse per alterationem est dare primum instans in quo habet esse. Hec est plana etsi Aristoteles non scripsisset, quia in ultimo instanti temporis mensurantis alterationem habet terminus alterationis <primo>¹⁸³ esse, quia aliter aliquid moveretur ad formam quam habet. Secundum fundamentum est quod rei permanentis¹⁸⁴ corrupte per alterationem non est dare ultimum instans in quo habet esse, et hanc scribit Philosophus et vera est, quia si esset dare ultimum instans in quo talis res haberet esse, illa res corrumperetur in non tempore, et ita non per alterationem.

Istis suppositis arguo et suppono quod aliquid transmutatur a calido in frigidum vel a summo calido in frigidum; tunc per primum suppositum est dare primum instans in quo est sub frigido; et sit illud instans a; volo // c. 106rb // tunc quod statim sit sibi approximatum unum aliud agens tante virtutis in transmutando illud corpus versus summum calidum et in apropinquando ipsum summo calido propinquitate formali quante virtutis fuit transmutans ipsum et faciens distare a summo calido. Hoc enim possibile est, ut patet cuilibet intelligenti. Tunc, cum non sit dare ultimum instans in quo talis res permanens habet esse, ut patet per secundum suppositum, sequitur quod adhuc post erit illud corpus sub frigiditate. Et signetur aliquod instans post a in quo illud corpus erit sub frigiditate et sit c; accipio tunc unum instans ante a in quo illud corpus fuit sub caliditate tantum distans ab a ex parte ante quantum c distat ab a ex parte post; et sit illud instans b. Tunc arguitur sic: quantum illud corpus vel forma sub qua erat recessit recessu formali a summo calido in tempore inter b et a, tantum accessit accessu formali ad summum calidum in tempore inter a et c; et per consequens quantum perdidit de propinquitate formali in tempore inter a et b, tantum acquisivit de propinquitate formali inter c et a; igitur eque propinquum formaliter summo calori est in c sicut fuit in b; sed in c est sub forma frigiditatis et in b fuit sub forma caliditatis; igitur caliditas quam habet in b et fri-

183 Ms.: post

184 Ms. *add.* producte vel

ginitas quam habet in c sunt vel fuerunt eque propinque propinquitate formali summo calori. Aliam partem minoris probo, scilicet quod aliqua frigiditas est propinquior summo calori quam caliditas aliqua data, quia signo instans in medio temporis inter a et b et sit illud instans d; in instanti d qualitas illius mobilis dati fuit caliditas, semper enim ante a fuit sub caliditate, et in c sua <qualitas>¹⁸⁵ fuit frigiditas; sed in d sua qualitas distabat formaliter a summo calore magis quam caliditas quam habuit in c, quia magis accessit mobile vel qualitas mobilis versus summum calorem formaliter in tempore inter a et c quam recessit forma a summo calido in tempore inter a et <d>¹⁸⁶; igitur frigiditas sub qua mobile fuit in instanti c fuit propinquior summo calori quam¹⁸⁷ // c. 106va // qualitas sub qua mobile fuit in instanti d; et loquor de distantia et propinquitate formali.

Et si dicatur quod illa ratio est equaliter contra me, quia non volo dicere quod calor et frigus eque distent a summo calido formaliter; dico quod ponendo quod calor et frigus sint in eadem specie, sicut pono, non est michi inconveniens quod aliquis calor et aliquod frigus eque distent a summo calore, quia forte ponam quod frigus non est nisi calor remissus, sicut umbra est lumen diminutum. Sed ponendo quod calor et frigus differant specie est valde inconveniens ponere quod aliquis calor et aliquod frigus equaliter distent a summo calido, quod tamen oportet dare supposito quod differant specie.

Si dicatur huic rationi quod non est possibile quod statim post a transmutetur versus calidum summum, quia in motu reflexo oportet mobile quiescere in puncto reflexionis; contra¹⁸⁸: quia illud non solvit, quia ponamus quod quiescat per aliquod tempus, et sit e ultimum instans illius temporis mensurantis eius quiescere, et distat c tantum ab e ex parte post quam b distat ab a ex parte ante. Et fiat ratio eodem modo in 4 vel 5 terminis sicut prius fiebat in 3 vel 4 terminis.

Si vero dicatur quod post a statim erit sub calido, quia statim remittetur frigiditas, et frigiditas non remittetur nisi per admixtionem calidi, ut patet quinto *Physicorum* et secundo *De anima* per Commentatorem commento; contra: illud est contra duo fundamenta supposita et probata.

185 Ms.: caliditas

186 Ms.: a

187 Ms. *iter.* quam

188 Ms. *add.* quia

Et etiam arguitur aliter: si statim post primum instans temporis mensurantis alterationem inducatur forma ad quam est motus, quero aut totus terminus ad quem statim inducitur vel pars eius. Si dicatur quod totus terminus statim inducitur, sequuntur duo inconvenientia: primum est quod terminus acquiritur sine motu, quia illa forma que nunc non est et statim post erit in subiecto sine medio acquiritur sine motu. Secundum inconviens est quod mobile dum movetur est totaliter in termino ad quem, quia semper durante motu habet totum terminum ad quem. Si dicatur // c. 106vb // quod pars termini ad quem statim sine medio acquiritur, cum illa pars termini sit de specie termini ad quem, sequitur quod tota species termini ad quem acquiritur sine medio et sine motu.

Item, eodem modo arguitur de termino a quo: in primo instanti temporis mensurantis motum manifestum est quod mobile est in toto termino a quo, statim sine medio erit sub forma contraria. Quero tunc aut statim corrumpetur totus terminus a quo, aut nihil eius, aut pars eius; non est dicere quod statim corrumpatur totus terminus a quo, quia sic mobile dum moveretur non haberet aliquid de termino a quo; si detur quod nihil eius statim corrumpitur, sequitur quod nihil de termino ad quem statim acquiritur, quia quantum acquiritur de termino ad quem, tantum corrumpitur de termino a quo. Si detur quod aliquid de termino a quo statim sine medio corrumpitur, sequitur quod illud corrumpitur in non tempore; et cum illud quod corrumpitur in non tempore ab eodem agente non habeat proportionem cum eo quod corrumpitur in tempore, sequitur quod inter illud quod corrumpitur in non tempore ab eodem agente et illud quod corrumpitur in tempore non sit proportio, sicut nec est proportio inter tempus et instans; sequitur quod illa pars termini a quo que corrumpitur in non tempore non habebit proportionem aliquam ad totum terminum a quo qui corrumpitur in tempore vel ad illam partem que corrumpitur in tempore; quod est impossibile, cum cuiuslibet finiti ad aliud finitum eiusdem rationis est aliqua proportio.

Item, si in instanti a mobile sit sub frigiditate, sine medio erit sub caliditate et non erit statim sub tepiditate, ut manifestum est; sequitur quod illud quod transmutatur de calido in tepidum vel in frigidum necessario erit prius sub frigiditate quam sub tepiditate¹⁸⁹, et sic transiens ab extremo in extremum ne-

189 *Ms. add. et del.* ut manifestum est sequitur quod illud quod transmutatur de calido in

cessario erit prius sub extremo quam sub medio, quod est impossibile, quia secundum Philosophum quinto *Physicorum* «medium est quod continue mutans prius devenit quam in ultimum».

Item, caliditas // c. 107ra // aeris remissa est et similiter levitas eius est remissa; si igitur nihil remittitur nisi per admixtionem sui contrarii, sequitur quod qualitates aeris essent mixte et non essent <pure>.

Argumentum principale posset bene fieri de raritate et densitate, scilicet quod non differant specie, quia recedat aliquid a summa raritate quousque sit sub densitate, et postea moveatur e contra; manifestum est quod statim acquirat raritatem, quia de denso non fit rarum nisi per admixtionem partium rararum, nec de raro densum nisi per admixtionem partium densarum.

Secundo arguitur philosophice. Primo sic: impossibile est quod contraria eiusdem speciei sint magis contraria quam contraria diversarum specierum; sed aliqua duo calida que sunt eiusdem speciei sunt magis contraria quam aliquod calidum et aliquod frigidum datum; ergo non sunt diversarum specierum. Sic enim forme eiusdem speciei essent magis contrarie quam forme diversarum specierum, quod est impossibile; et huiusmodi ratio¹⁹⁰ patet ex quo est ibi contrarietas.

Preterea: inter ea que sunt alterius rationis non cadit comparatio et proportio, patet ex septimo *Physicorum*; sed inter raritatem et densitatem est proportio et comparatio, ut patet ex demonstratione Aristotelis quarto *Physicorum* capitulo de vacuo, est quedam distantia et diversitas; et ita que sunt eiusdem speciei non possunt plus distare formaliter nec inter se maiorem diversitatem habere quam illa que differunt specie.

Et apparet manifeste quod forme eiusdem speciei non possunt magis esse contrarie quam forme diversarum specierum. Minorem probo: nam per Philosophum primo *De generatione* actio est ratione contrarietatis, ergo contraria que inter se agunt et patiuntur magis sunt contraria quam illa que non agunt nec patiuntur inter se, dummodo sint forme active; sed certum est quod aliquod calidum valde intensum approximatum calido valde remisso agit in ipsum, ut ignis in aerem vel in animal; sed est dare aliquod calidum approximatum alicui

tepidum vel in frigidum necessario erit prius sub frigiditate

190 Ms.: rationis

frigido et neutrum // c. 107rb // agit in reliquum; ergo etc. Probatur assumptum: nam ponamus quod aliquod calidum parvum vel parva flamma agat in magnum, puta in aqua maris; illud calidum aget in aliquam partem maris; capio illam partem calefactam, illa est approximata parti frigide. Quero tunc an calefaciat eam vel non; si non habetur propositum, quod aliquod calidum approximatum alicui frigido non agit in ipsum. Si detur quod sic, eadem ratione illa parte calefacta calefaceret aliam, et sic quousque totum mare sit alteratum et calefactum; et sic parva flamma posset alterare totum mare, quod est inconveniens. Et posset argui sub alia forma sic: quero aut illa parva flamma alterabit totum mare aut non; non est dare primum, quia sic moto uno moverentur omnia. Si detur quod non, capio totum calefactum ab illa flamma: illa pars calefacta est approximata alteri parti non calefacte, et tamen non agit in eam; igitur etc.

Tertia ratio est hec: quod quodlibet est determinatum ad maximum et minimum, ut patet primo *Physicorum* et secundo *De anima*; sed calor non est determinatus ad maximum et minimum; igitur non est diversa species a frigiditate, et sic calor et frigus non sunt diverse species. Probatur minor: si calor esset determinatus ad maximum et minimum, et frigus similiter, quod oportet ad hoc ut essent diverse species, tunc esset dare minimum frigus. Cum igitur sit possibile aliquod frigidum approximari parvo calido, potest agere in ipsum transmutando ipsum ad frigidum; sit igitur a primum instans in quo frigidum est approximatum minimo calido; quero si post a manebit calidum aliquando. Si detur quod sic, cum frigidum approximatum calido remittat ipsum, sequitur quod si post a maneat calidum, sequitur quod est dare calidum minus <minimo> calido, et ita est dare minus minimo in eodem genere. Si detur quod non manebit calidum post a, sequitur quod a est ultimum instans in quo mobile est sub calido, et ita in alteratione esset dare ultimum instans in quo // c. 107va // res permanens habet esse et primum instans in quo forma sequens habet esse primo; et inter duo instantia est tempus medium in quo nec erit sub forma priori nec sub forma posteriori. Vel transmutetur mobilis de magna caliditate ad minimam frigiditatem transeundo per minimam caliditatem; in uno igitur instanti erit mobile sub minima caliditate et in alio sub minima frigiditate; et sequitur quod illa duo instantia erunt immediata vel in medio mobile erit sub neutra forma, quod est falsum.

Quarta ratio est hec: si albedo et nigredo, fuscedo etc. differrent specie, cum transiens de specie extrema ad speciem extremam distantes per species medias prius transeat per media, ut patet ex diffinitione medii quinto *Physicorum* «medium est in quod continue mutans prius devenit quam in ultimum», sequitur quod transiens de nigredine ad albedinem antequam sit sub albedine fieret sub rubedine et viriditate; et sic capilli nigri cum canescerent fierent rubei et virides antequam albi, quod est falsum. Si dicatur quod non oportet transire per omnes species medias sed per aliquam; contra: diffinitio medii competit omni speciei medie.

Item, cum species coloris se habeant secundum ordinem ita quod una est propinquior albedini et altera remotior, si igitur mobile debeat transire de albedine in nigredinem per aliquam speciem mediam, aut illa species erit mediata vel immediata albedini. Si mediata, tunc est aliquod medium, et quero aut oportet transire per illud aut non; si sic, sequitur quod oportet transire per omnia media per illud idem argumentum; si detur quod non, contra: si est transire ab aliqua specie mediata non pertranseundo medium, sequitur quod erit transitus ab extremo ad extremum, et tamen per nullum medium, quod est impossibile.

Item, colores medii secundum Philosophum componuntur ex extremis, ita quod si aliquis color medius habet magis de uno extremo quam de alio in aliqua proportione materiali delectabili fit // c. 107vb // una species, secundum aliam proportionem fit alia; cum igitur in transmutatione ab albedine in nigredinem vel e converso pertransire per omnes proportiones oportet <oportet> quod, si albedo nunc excedat nigredinem in aliqua proportione, ante quam sit deventum ad nigredinem excederet vel excederetur in proportione aliqua, sequitur quod transiens <ab> albedine¹⁹¹ <ad> nigredinem transeat necessario per omnes species medias.

Item, quod colores sint eiusdem speciei videtur: nam secundum Philosophum et Commentatorem in *De sensu et sensato* colores medii componuntur ex luce et opaco; lux est formale in omnibus coloribus; tunc cum sit lux formale et est in omnibus eiusdem speciei; sed quorum formalia sunt eiusdem speciei, et ipsa; ergo etc.

191 Ms.: albedinem

Quinta ratio est hec: non plus differunt termini alterationis quam termini augmentationis, quia ita verus motus est augmentatio sicut alteratio; sed termini augmentationis non differunt specie; igitur nec termini alterationis. Probatur minor: nam augmentatio est¹⁹² a minori quantitate corporea ad maiorem; sed omnis quantitas corporea materialis corrumpitur quantitate materiali est eiusdem speciei, cum non differant nisi secundum magis et minus, ut patet; quare etc.

Sexta ratio est hec: si contraria differrent specie, motus non caperet speciem, aut igitur quando est motus aut quando non est; non quando non est, quia tunc non est in specie; nec quando est, quia quandocumque alteratio est indeterminatum <est> in re ad quam vadit seu ad quam speciem terminabitur, ut si aliquid alteretur calefaciendo aut a calido versus frigidum, indeterminatum est in re utrum illa alteratio terminetur ad frigidum vel ad tepidum vel ad calidum remissum; igitur si calidum, frigidum, tepidum differrent specie numquam haberet motus speciem vel denominationem a termino ad quem.

Ratio moralis ad idem sic: virtus moralis et aliquod vitium sibi oppositum sunt eiusdem speciei, et loqu^{or}¹⁹³ de eo quod est absolutum in virtute et vitio. Probatur, quia illi habitus sunt eiusdem speciei qui generantur ex actibus // c. 108ra // consimilibus sive ex actibus eiusdem speciei; et hoc quantum ad substantiam actus; sed virtus et vitium sunt huiusmodi; ergo etc. Maior patet, quia circumstantie actuum, ut circumstantia finis, non se tenent in ratione efficientis; finis enim non efficit, immo nihil efficit habitum quantum ad absolutum in habitu, nisi substantia actus; et ideo si actus secundum substantiam sint similes, et habitus erunt similes. Minor probatur sic: ponamus quod duo aggrediant bellum frequenter et consimiles actus omnino exerceant, unus propter defensionem rei publice, alius propter pecuniam acquirendam, ut puta pro stipendiis vel pro vana gloria. Uterque per huiusmodi actus potest acquirere habitum quo faciliter delectatur et prompte, et sic de aliis. Cum dicitur habitus operatur aggrediendo bellum, certum est tunc quod uterque acquirit habitum, et unus acquirit habitum virtuosum, alius habitum vitiosum; et tamen isti habitus sunt eiusdem speciei, cum sint ex actibus eiusdem speciei; igitur etc.

192 *Ms. add.* a maiori seu

193 *Ms.:* loquendo

Et si dicatur quod quamvis¹⁹⁴ actus exteriores sint eiusdem speciei, non tamen actus interiores; contra: velle pugnare et defendere rem publicam et huiusmodi actus interiores pro quocumque fine sunt eiusdem speciei, cum sint in eadem potentia remota eiusdem obiecti.

Item, probo conclusionem principalem per aliam rationem talem: ponamus quod aliquis frequenter aggrediat bellum propter inanem gloriam vel cupiditatem pecunie, ita quod acquirat habitum quo faciliter et delectabiliter operetur; certum est quod ille habitus non est virtus, cum non generetur ex actibus ordinatis ad bonum finem. Ponamus tunc quod ipse mutet finem et aggrediatur bellum propter defensionem rei publice; certum est quod ille faciliter operatur et delectatur et prompte sicut prius; igitur operatur ex habitu ex quo operatur propter bonum finem, operatur ex habitu virtuoso, quia ponamus quod delectabiliter operatur etc., sciens quod operatur et propter quid et sic de aliis circumstantiis. // c. 108rb // Et certum est quod per istum actum non acquisivit novum habitum, sed operatur ex habitu acquisito prius; ille igitur habitus idem qui prius fuit vitiosus postea fit virtuosus, quod non esset si virtus et vitium differrent specie; impossibile est enim idem individuum nunc esse in una specie et iam in alia.

Ratio medicinalis ad conclusionem principalem est hec: sanitas et egritudo que sunt contraria constituta a medico sunt eiusdem speciei, et hoc loquendo de eo quod est absolutum cum eis. Probat dupliciter: primo, quia sanitas vel est ipsi humores sive qualitates adequate vel proportionate, vel proportio sive adequatio, que sunt relationes. Si per sanitatem et egritudinem intelligamus ipsos humores sive qualitates, certum est quod qualitates et humores sunt eiusdem speciei in sano et egro. Si autem intelligamus per sanitatem et egritudinem adequationem et inadequationem, illa sunt relationes, et ideo cum nihil sit ibi absolutum nisi qualitates que sunt eiusdem rationis in sano et egro, sequitur propositum.

Item, illud idem quod est sanitas in uno est infirmitas in alio quantum ad absolutum in eis, quia illa proportio vel adequatio qualitatum que est sanitas in leone vel serpente esset infirmitas in homine; sed illud quod est in subiecto unius speciei non est alterius speciei in alio; igitur sanitas et egritudo quantum ad illud quod absolutum est in eis sunt eiusdem speciei.

194 *Ms add. in marg.*

Dico igitur quod calor et frigus et albedo et nigredo, et universaliter omnia contraria que habent fieri successive circa idem ens in actu sunt eiusdem speciei specialissime. Et dico quod frigiditas quantum ad illud quod est positivum et absolutum in frigiditate non est nisi caliditas remissa. Et hoc patet per Philosophum quarto *Methaurorum*, qui dicit quod omnia elementa preter ignem sunt putrefactibilia. Nunc autem per Philosophum ibidem putrefactio est corruptio prime caliditatis a caliditate ambientis; igitur tria elementa alia ab igne habent propriam caliditatem, sed caliditas terre vel aque non potest esse nisi eius frigiditas; igitur frigiditas est quedam // c. 108va // caliditas.

Item, Commentator secundo *Celi* commento <42> loquens contra Avicennam <dicentem>¹⁹⁵ quod quedam corpora celestia causant calorem et quedam frigiditatem dicit quod rei veritas est quod corpora celestia non causant caliditatem, et hoc est verum quantum ad privationem quam includit frigiditas; et dicit quod causant calores similes unicuique elemento; igitur unumquodque elementum habet caliditatem sibi proportionabilem; sed calor aque vel terre non est nisi frigiditas; ergo etc.

Contra hoc arguitur, quia secundum hoc rationale et irrationale essent eiusdem speciei cum sint contraria.

Item, quia Philosophus quasi ubique ponit contraria differre specie, unde contraria sunt que posita sub eodem genere maxime distant decimo *Methapysice*, quod non esset si essent in eadem specie.

Ad primum dicendum quod contraria que habent fieri circa idem subiectum ens in actu, et inter que cadit transmutatio circa idem subiectum ens in actu sunt eiusdem speciei; nec loquor de aliis. Modo rationale et irrationale non sunt huiusmodi, ideo non sequitur quod sint in eadem specie.

Ad aliud dico quod Philosophus loquitur secundum famositatem communiter ubicumque procedit narrative vel inquisitive; sed ubi procedit determinando dubitationem et veritatem; et ibi dicta sua sunt authentica, non autem ubi solum narrat vel inquirat arguendo ad utramque partem; et quia illam questionem de ydemptitate contrariorum specifica non disputavit sed solum narrative processit, dico quod ubicumque de hac materia loquitur certe loquitur

195 Ms.: dicit

secundum famositatem. Et sic possunt solvi omnia argumenta in contrarium adducenda et sic de hac.

Explicit tractatus magistri Gualterii de Burley scriptus pro reverendo in Christo patre et domino domino P<etro de> N<igrono Ianuensi> abbate sancti Gregorii de Urbe sedente Alexandro pontificie maximo pontificatus sui anno secundo decima septima aprilis 1494. Deo gratias.

1.3 Erfurt, Universitätsbibliothek, Hs. Ampl. O 76

// c. 100vb // Ad rationes istarum contrarium respondet idem socius. Per ordinem ad rationes prime conclusionis dicit, sicut dixit quod quandoque convenit dare ultimum instans forme permanentis corrumpende sicut quando fit recessus a gradu maximo vel minimo quiescentibus; sed dicit quod quando est dare ultimum instans forme corrumpende non est dare primum instans forme producende; et ideo dicit quod ratio in nullo est contra eum. Quod autem quandoque sit dare ultimum instans probatur primo, quia si calidum approximetur frigidissimo, in primo instanti approximationis erit frigidum et numquam postea erit dare ultimum instans nisi permanentis. Consequentia patet; antecedens probatur, quia sit primum instans approximationis a, tunc quero aut post a sit frigidum aut non. Si non, habetur propositum; si sic, cum calidum approximatum frigido semper remittat ipsum, sequitur quod erit dare frigidius frigidissimo, quod est impossibile.

Secundo sic: volo quod aliquod frigidum approximetur calidissimum et sit a primum instans approximationis; tunc sic: in primo instanti approximationis est calidum et numquam postea erit, ergo etc. Consequentia patet; antecedens probatur, quia in primo instanti approximationis frigidum reagit in calidissimum cum communicet in materia; aut ergo remittit ipsum aut non; si sic, habetur propositum; si non, ergo non agit ipsum, et sic agit et non agit.

Contra: probo quod cuiuslibet rei permanentis // c. 101ra // sit dare primum instans, quia cuiuslibet temporis mensurantis alterationem est dare ultimum instans, quia omne tale est finitum; sed in ultimo instanti mensurante alterationem tunc res alterationis habet primo esse; res autem alterationis est res producta per alterationem; ergo hec producta per alterationem habent primum instans sui esse.

Si dicatur quod forma sequens non producitur in esse per alterationem precedentem; contra: inter ultimum esse frigidi et esse cuiuslibet forme contrarie sequentis est tempus medium in quo calidum est approximatum frigido; sed impossibile est calidum et frigidum esse approximata per tempus quin unum agat in reliquum alterando ipsum; ergo quelibet caliditas sequens ultimum esse frigidi acquiritur per alterationem precedentem.

Si dicitur quod aliqua forma sequens acquiritur subito, ita quod inter ultimum esse frigidi et esse alicuius forme sequentis non est aliquod tempus medium; contra: cuiuslibet forme inducte subito est dare primum instans in quo habet esse; non in eodem, ergo in alio; et inter illa est tempus medium; igitur etc.

Secundo sic: tu concedis minimum frigidum et minimum calidum, tunc arguo: si mobile debeat transmutari de frigido ad calidum, prius deveniet ad minimum calidum quam ad calidum intensius, quia minimum calidum est medium inter minimum frigidum et calidum intensius minimo calido; in aliquo ergo instanti illud mobile est sub remississimo frigido, et in alio sub remississimo calido; sit ergo *a* instans in quo est sub remississimo frigido et *b* instans in quo est sub remississimo calido. Tunc quero: aut mobile fuit ante *b* sub calido, aut non. Si dicatur quod non, habetur propositum, scilicet quod sicut est dare ultimum instans forme precedentis, ita est dare primum forme sequentis; si dicitur quod sic, cum mobile continue post *a* calefiat, sequitur quod ante *b* fuit sub remissiori calore quam in *b*, et ita esset dare remissius remississimo.

Tertio sic: illud quod non est in specie nisi quia sub aliquo individuo speciei, si sine // *c*. 101rb // medio sit sub specie, sine medio erit sub aliquo individuo speciei; sed mobile quod movetur de frigido in calidum post *a* instans sine medio erit sub calore, quia si esset medium inter ultimum esse frigidi et esse mobilis sub calore, in illo medio nec esset sub calido nec sub frigido, cuius oppositum suppono, quia volo arguere in contrariis immediatis; ergo sine medio est sub aliquo individuo caloris; sed illius individui caloris est dare primum instans sui esse; ergo est dare primum forme sequentis.

Quarto sic: quia ista responsio concedit propositum principale, scilicet quod contraria sunt eiusdem speciei specialissime. Primo sic: si illa que magis distant formaliter sint eiusdem speciei, et illa que minus distant formaliter erunt eiusdem; sed frigidum intensum et frigidum remissum magis distant formaliter quam frigidum remissum et calidum; ergo etc. Maior patet; minor probatur, quia inter frigidum remississimum et calidum non est aliquod medium nec secundum speciem nec secundum magis et minus, quia si esset medium, oportet illud pertransire antequam deveniret ad calidum; et sic non esset statim post ultimum esse frigidi sub calido; sed inter frigidum intensum et frigidum remissum sunt infinita media, quia infiniti gradus medii; ergo etc.

Ad primum, quod post ultimum instans etc.; respondeo et dico quod ego numquam dabo frigidum remississimum nec calidum remississimum. Ideo ratio supponit unum falsum, scilicet quod sit dare minimum.

Ad secundum concedo quod in primo instanti approximationis est calidissimum et numquam postea erit; et, quod plus est, concedo quod cuiuslibet individui speciei habentis latitudinem et suscipientis magis et minus est dare ultimum, quia quilibet gradus variat individuum. Tamen non est dare ultimum instans in quo forma specifica habet esse, sed semper est dare primum in quo aliqua forma specifica habet esse. Et ista est intentio Philosophi 8 *Physicorum* et Commentatoris 5 *Physicorum* commento 2 super illud Philosophi «medium est in quo continue etc.», ubi dicit quod si mobile fuerit in loco, tunc inter illud medium est // c. 101va // primus locus ad quem mobile movetur. Similiter si motus fuerit in qualitate, tunc inter instans medium erit prima qualitas ad quam transmutatum transmutat; sed istud non potest intelligi de primo secundum numerum, quia non est dare locum immediatum loco nisi superficies esset immediata superficiei, ut patet per Commentatorem 6 *Physicorum*; ergo intelligitur de primo secundum speciem; ergo etc.

Quidam alii subtiles evadunt aliter primam rationem principalis conclusionis concedendo omnia usque quando: accipietur quod tunc existens sub frigido erit eque propinquum summo calido vel propinquius quam erat ante prius quando erat sub calore. Dicunt enim quod istud non est verum, quia propinquitas formalis «est» quidditativa sive specifica, et distantia similiter; et ideo numquam erat frigidum propinquius propinquitate formali summo calido quam calidum in quocumque gradu quantumcumque parvo; tamen frigidum sub aliquo gradu potest esse propinquius gradualiter calido summo quam calidum in gradu aliquo. Contra: probo quod distantia formalis de qua loquitur Philosophus 10 *Metaphysice*, ubi dicit quod contraria maxime distant, non est distantia specifica. Primo sic: summum calidum et summum frigidum plus distant quam calidum remissum et frigidum remissum, sed non distant plus specificè; igitur distantia formalis qua contraria distant non est specifica. Minor patet; maior probatur, quia sunt magis contraria, igitur plus distant. Consequentia patet; antecedens probatur per Philosophum 2 *De anima*, qui dicit quod quia alimentum est frigidius in principio quam in medio, cum continue

alteretur accipiendo, ideo est magis contrarium rei alende que est calida tam in principio quam in medio; ergo etc. Confirmatur, quia summum calidum magis contrariatur in frigidum remissum quam calidum remissum, // c. 101vb // quia citius destruit ipsum, igitur magis contraria sibi; et per consequens plus distant, et tamen non specificice; ergo etc. Antecedens patet et consequentia probatur, quia actio est ratione contrarietatis primo *De generatione*.

Secundo sic: contraria mediata plus distant formaliter quam immediata, et tamen non plus distant specificice; ergo distantia formalis non est distantia specifica. Probo assumptum, quia illa inter que est medium secundum formam plus distant quam illa inter que nullum est medium secundum formam; sed inter mediata est medium secundum formam, inter immediata non; ergo etc. Confirmatur, quia contraria immediata differunt specificice et non formaliter; ergo diversitas specifica non est distantia formalis. Assumptum probatur, quia illa que sunt propinqua summa propinquitate nullo modo distant; sed contraria immediata sunt huiusmodi, quia impossibile est quod aliqua sint magis propinqua quam immediata; ergo etc. Et si dicatur: omnia contraria secundum Philosophum distant formaliter; ergo contraria immediata distant formaliter; dico quod contraria distant formaliter ratione graduum summorum in eis, unde contraria maxime distant quia gradus summi contrariorum maxime distant, et inter summos gradus contrariorum sunt infinita media. Unde inter species contrarias immediatas, supposito quod contraria differrent specie, non est distantia nisi ratione summorum individuorum, et inter quecumque individua contrariorum immediatorum sunt multa media.

Tertio sic: per Philosophum 5 *Physicorum* in eadem specie est contrarietas: nam magis album et minus album sunt contraria; igitur in eadem specie est distantia formalis; in eadem specie non est distantia specifica; ergo etc.

Quarto sic: aliqua distant specificice, et tamen non distant formaliter, loquendo de distantia formali de qua loquitur Philosophus 10 *Methaphysice*; ergo etc. Antecedens probatur per Commentatorem 10 *Methaphysice* commento 24, ubi dicit quod diversitas secundum formam non invenitur inter illa que non sunt in eodem // c. 102ra // genere, cuius ratio est quia contrarietas est diversitas secundum formam et diversitas secundum contrarietatem, et contraria semper sunt in eodem genere.

Ad rationem secunde conclusionis respondet predictus doctor concedendo omnia usque quando dicitur quod b erit in uno instanti sub frigiditate remississima et in alio sub caliditate remissa. Hic dicit quod si alteratio precedat, non erit dare ultimum instans in quo ultimo habeat esse sub frigiditate remississima, sed erit dare primum instans in quo primo erit sub caliditate remississima, ubi valet probatio Philosophi 8 *Physicorum*. Contra suppositum enim est et concessum quod b mobile debet transmutari ab intenso frigido ad remissum calidum per frigidum remississimum tamquam per medium; et certum est quod alteratio istius transmutationis per quam devenitur ad frigidum remississimum, ut concedis, precedit frigidum remissum, et agens contrarium est continue approximatum frigido. Sit ergo a instans in quo deventus est ad frigidum remississimum; tunc quero an post a sit sub frigiditate remississima vel non; si detur quod non, igitur est dare ultimum instans frigidi remississimi, quando alteratio precedit, quia in a est et numquam postea erit. Si vero detur quod post a b erit sub frigiditate remississima, tunc b quiescet sub frigiditate remississima, et tunc sequitur quod calidum est approximatum frigido debilissimo approximatione debita per tempus, et tamen non aget in ipsum, quod est impossibile et contra Philosophum 9 *Methaphysice*. Et ista est demonstratio ad probationem ultimum instans in rei permanentis <esse>, supposito quod sit dare minimum rei naturalis, sive alteratio precedat sive non, quia aliter per te contrarium intensum esset approximatum contrario remisso et non ageret in ipsum, quod est impossibile. // c. 102rb //

Ad rationes tertie conclusionis dicit quod possibile est quod aliqua realitas alicuius individui alicuius speciei corrumpi possit ab aliquo agente in instanti, et tamen totum individuum cuius potest esse pars non potest corrumpi nisi in tempore. Et ad improbationem istius dicti, cum dicitur impossibile est quod sint due forme eiusdem speciei quarum una excedat aliam in infinitum in virtute activa, dicit quod in individuo alicuius speciei est dare aliquam realitatem que cum aliqua alia eiusdem speciei in toto existens habent virtutem resistivam vel activam respectu¹⁹⁶ alicuius agentis <quam>¹⁹⁷ realitates per se sumpte, una sine altera, non habent actualem resistantiam respectu eiusdem agentis; et totum illud individuum comparatum ad aliquam partem eius non habet aliquam proportionem ad virtutem activam sive ad resistantiam actualem in parte.

196 Ms. *add. et del.* ad alicuius agentis

197 Ms.: quantum

Per idem patet ad secundum quod inter illam partem que potest corrumpi in instanti, et per consequens quod non habet resistantiam actualem, et totam formam que non potest corrumpi nisi in tempore nulla est proportio quoad virtutem activam. Et concedit quod forma eiusdem speciei potest excedere aliquam infinite quoad virtutem resistivam. Si autem acciperetur pars habens resistantiam actualem per se sumptam respectu eiusdem agentis, sic esset vera ista propositio: ‘impossibile est formam eiusdem speciei etc.’; non oportet autem quod omnis pars signabilis in toto habeat per se sumpta aliquam resistantiam; ergo etc.; exemplum patet de puncto qui est realitas existens in linea, et nullam habet proportionem ad lineam. Contra: omnis forma existens in subiecto per tempus habet resistantiam actualem; sed illa minima forma vel realitas quam ponis existit in subiecto per tempus, quia per te est minima sub qua subiectum potest quiescere; igitur etc. Probo assumptum, quia omnis talis forma resistit debilitanti actualiter, // c. 102va // quia continue debilitatur. Quod probo dupliciter: primo, quia omnis talis forma habet certam peryodum ultra quam non potest durare; patet per Philosophum 2 *De generatione* et primo *Celi et mundi*; sed hoc non esset nisi continue debilitaretur. Sit ergo peryodus talis forme quiescentis dies naturalis; si dicatur quod talis forma non debilitatur, ponam ergo quod in primo momento illius diei non debilitatur; tunc in fine illius momenti est tante virtutis quante fuit in principio istius momenti; ergo in fine illius momenti potest tantus durare quantum potuit in principio illius momenti; et sic posset durare per diem naturalem et unum momentum. Consequens est falsum, quia oppositum supponitur; ergo illud ex quo sequitur, scilicet quod illa forma non debilitatur continue. Cum igitur omnis forma que continue debilitatur resistat debilitanti, aliter corrumperetur in instanti, sequitur quod illa forma data habeat aliquam resistantiam actualem; ergo etc.

Secundo probo assumptum, quia illa forma data est in continue subiecto contrario, ergo continue debilitatur; et cum maneat per tempus, sequitur quod resistat; ergo etc. Tertio, quia illa forma continue tendit in non esse, et cum non desinat esse in instanti, sequitur quod resistit; ergo etc.

Secundo arguitur contra illud quod dicit quod illa forma per se sumpta non habet resistantiam accidentalem, tamen cum alia eiusdem speciei habet. Aliter accipio duo corpora habentia frigiditatem remississimam, sint a et b, et conti-

nuantur ad invicem; tunc, quamvis a non habeat per se resistantiam, tamen totum a ?? habet per se resistantiam. Volo tunc quod aggregatum?? approximentur aggregato ex a et b et volo quod agat in totum a, scilicet ita quod totum sit primum in quod agat; et sit c instans in quo facta est approximatio. Tunc quero: aut enim corrumpitur in instanti aut in tempore; si in tempore cum calidum approximatur frigido // c. 102vb // semper remittat ipsum, sequitur quod erit dare frigidius frigidissimo. Si corrumpitur in instanti, quero aut b corrumpitur in eodem instanti vel in alio; si in eodem instanti, ergo, sicut a non habuit per se resistantiam actualem, ita nec aggregatum ex a et b; et ita possum arguere de tribus membris vel quatuor et sic de aliis; et tunc sequitur quod si pars non habeat resistantiam actualem, quod totum non habebit resistantiam actualem. Si vero dicatur quod b non corrumpitur in eodem instanti cum a, ergo est dare aliud instans in quo b habet esse, et sit d; tunc inter c et d est tempus medium in quo b habet esse et contrarium est sibi approximatum; ergo b quod fuit frigidum remississimum habet resistantiam actualem. Dicere ergo quod totum habet resistantiam actualem et non pars eius est dicere impossibilia.

Tertio, quia illud quod non habet resistantiam est indivisibile secundum resistantiam; si indivisibile eo modo quo est indivisibile additur indivisibili non facit maius; et per consequens nec duo remississima nec tria, et sic de aliis simul iuncta habebunt resistantiam; ergo etc.

Quarto, quia virtus resistiva totius dividitur secundum divisionem sui subiecti ita quod sicut totum est in toto, ita pars in parte; ergo si in toto sit virtus resistiva, sequitur quod erit in parte; ergo etc.

Quinto sic: si una forma excederet aliam et sint eiusdem rationis in aliqua perfectione in infinitum, tunc illa forma esset infinite perfectionis; consequens est falsum et consequentia satis patet.

Ad secundam rationem istius conclusionis dicit quod corruptio subita potest accipi vel pro inceptione corruptionis vel pro corrupto esse; et accipiendo uniformiter verum est quod illud quod corrumpitur in instanti corrumpitur subito, nec autem forma que habet ultimum sui esse incipit corrumpi in instanti; et ex hoc non sequitur quod non sit. Contra: quandocumque illa forma est corrupta, illa forma non est; // c. 103ra // sed in ultimo instanti illa forma est corrupta; igitur in ultimo instanti illa forma non est; ergo etc.

Ad tertiam rationem respondet: concedo quod generatio et corruptio mensurantur eodem instanti. Et cum dicitur quod tunc erit motus in instanti; dicit quod aliquam alterationem bene contingit esse velocem, scilicet quando a reagente contrarii non potest per se resistere, ut a privatione; et talis non est motus, quare non valet. Contra: quia omnis mutatio que est a contrario in contrarium est motus 5 *Physicorum*; sed in instanti per te est mutatio a contrario in contrarium; igitur in instanti erit motus.

Secundo sic: quia ex hoc sequitur quod contraria sunt simul in eodem, quia in illo instanti in quo generatio subita est, forma contraria est inducta in subiecto, et in eodem instanti per te est forma corrumpenda in subiecto, quia per te forma corrumpitur in ultimo instanti sui esse; ergo forme contrarie sunt simul in eodem subiecto.

Ad quartam dicit: quando dicitur quod omnis transmutatio in non tempore est finis transmutationis in tempore, dicit quod verum est ubi alteratio precedit; contra: quia Commentator concedit eam universaliter, unde dicit quod omnis transmutatio in non tempore non est mutatio nisi quia est finis mutationis in tempore. Probo tamen propositum sic: omne factum esse precedit fieri et omne mutatum esse mutari 6 *Physicorum*; sed mutatio subita et mutatum esse vel sunt idem omnino vel semper sunt simul; ergo, cum omne mutatum esse sit finis motus, sequitur quod omnis mutatio subita est finis motus.

Ad duas rationes quarte conclusionis respondet simul et dicit quod in tempore medio erit sub frigiditate remissa. Et etiam dicitur quod calidum remissum non removetur nisi per admixtionem contrarii; concedo ubi sit remissio per motum continuum. Et cum dicis quod in tali mutatione erit minus de frigido quam in minus frigido, dicit quod hic est fallacia equivocationis, quia dicit quod secundum distinctionem quam alias dedit de frigido // c. 103rb // et calido, frigidum enim est duplex, quia quoddam est species frigidi et quoddam dispositio ad frigus; et ideo minimum frigidum quod accipitur primo a quo incipit mutari est in specie frigidi; illud autem quod miscetur cum calido est dispositio ad frigidum et ita committitur fallacia; et per idem dicit ad secundam rationem. Contra: illa dispositio ad frigidum que miscetur cum calido in illo tempore medio est in aliqua specie, et illa dispositio suscipit magis et minus, quia aliquid magis disponitur ad frigidum et aliquid minus; illius ergo speciei in qua est illa

dispositio est a caliditate <ad> frigidum remissum; sit ergo ? aliquod sub minima dispositione ad frigidum et transmutetur ad summum calidum. In a ergo instanti est sub minima dispositione ad frigidum, et in b est sub summo calido; quero tunc et fiat argumentum sicut prius. Unde iste due rationes stant omnino intacte arguendo de illa dispositione non erit ibi aliqua scientia.

Ad rationem quinte conclusionis, quando dicitur: omne passivum communicans in materia etc., dicit quod illa propositio est vera de passo patiente in tempore. Contra: per te frigidum agit in calidum in instanti, ergo in illo instanti calidum patitur a frigido; aut igitur post illud instans calidum habebit esse aut non. Si sic, sequitur quod frigidum repatitur a calido, quia in tempore calidum est approximatum frigido; si post illud instans calidum non habebit esse tunc passio sive mutatio facta a frigido in calidum ? ? a non esse calidi, sed nec mutatio cum sit ? ? est cum termino mutationis; igitur in illo instanti calidum non est et per te calidum in illo instanti est; igitur simul est et non est.

Ad sextam rationem conclusionis dicit quod forma suscipit magis // c. 103va // per additionem partis eiusdem nature et suscipit minus per additionem contrarii, et hoc si suscipiat magis et minus per motum et habeat contrarium; unde talis forma suscipiens minus per motum successivum numquam suscipit minus nisi ratione contrarii resistentis. Aliter non respondet nec ad materiam nec ad formam duarum rationum ad istam conclusionem.

Ad rationem septime conclusionis dicit quod illa frigiditas est pura, nec ex hoc sequitur quod sit frigiditas in summo, quia sibi deficit aliqua pars frigiditatis; et ideo est frigiditas remissa et potest augeri per aliquam partem frigiditatis; et per hoc evadit etiam sextam conclusionem, scilicet quod forma intendatur per additionem partis eiusdem rationis. Contra: si forma intendatur per additionem partis, sequitur quod forma <remittatur>¹⁹⁸ per solam ablationem partis; consequens est falsum, quia sic remittens frigidum nihil novum causaret in eo quod esset per se terminus illius remissionis, quod est impossibile, quia omnis motus est a subiecto in subiectum. Et consequentia probatur, quia per cuius additionem fit augmentatio vel intensio, per eius admotionem fit diminutio sive remissio. Et si dicatur quod motus remissionis terminatur ad dispositionem ad formam contrariam; contra: dispositio ad formam contrariam continue inten-

198 Ms.: intendatur

ditur; ergo si motus remissionis esset ad dispositionem ad formam contrariam, sequeretur quod terminus motus diminuitur, continue intenderetur et augetur; sed motus cuius terminus intenditur est motus intensio; ergo motus remissionis esset intensio, quod est impossibile. Item, si illa dispositio ad contrarium intenditur, quero aut in adventu dispositionis precedentis maneat dispositio primo vel non; si detur quod sic, sequitur quod termini motus erunt simul in eodem, et ita contraria simul; si detur quod non, sequitur quod illa dispositio non augetur per additionem // c. 103vb // partis ad partem; igitur etc. Item, quero ad quid terminatur remissio illius dispositionis; non potest dici quod ad aliquam dispositionem, quia sic dispositionis esset dispositio in infinitum; et sic illa remissio non terminaretur ad aliquid positivum.

Secundo arguo sic: quia secundum istam opinionem nulla forma intenderetur, quia non forma prior, quia illa non fit maior per hoc quod aliquid sibi addatur; nec forma precedens, quia augmentatum debet manere sub utroque termino augmentationis; nec aggregatum ex hiis propter idem, quia illud aggregatum non manet.

Tertio sic: in quolibet instanti temporis mensurantis motum acquiritur aliqua forma; si ergo prior forma non corrumpitur, sequitur quod infinite forme erunt adequate in eodem subiecto simul, ut infinite albedines. Dicitur quod hic non est inconveniens, quia nate sunt facere unum per se; contra: numerus proprietatum sensibilium presens sensui bene disposito potest percipi a sensu; ergo motus perciperet multas qualitates in eodem subiecto adequate, quod non est verum. Item, omnes ille forme possunt esse eque perfecte et per consequens tota albedo esset infinite perfectionis cum includat infinita distincta equalis perfectionis.

Quarto, quia tunc sequitur quod non erit statum in formis, quia quacumque albedine data contingit sibi addere aliquam albedinem.

Quinto, quia motus naturalis intenditur in fine secundum Philosophum, et tamen non invenitur per additionem partis ad partem, quia prima pars motus non manet, hoc enim esset contra rationem successivi.

Sexto sic: accipiamus unum pugillum terre pure, in isto pugillo est gravitas summa nullo modo mixta cum contrario vel dispositione ad contrarium; et ad-

datur sibi alius pugillus, certum est quod gravitas non intenditur, quia gravitas summa non // c. 104ra // potest intendi, et tamen ibi est additio gravitatis ad gravitatem; ergo forma non intenditur per talem additionem.

Ad rationem octave conclusionis dicit concedendo quod, cum canescunt, capilli transeunt per omnes colores medios, sed visus non percipit eos propter defectum notabilem quantitatis capillorum quantum ad latitudinem; contra: impossibile est visum videre sensibile per accidens nisi primo tunc videat sensibile proprium, sed capilli sunt per accidens visibilia sicut dixit¹⁹⁹ et visus insistsens et continue inspiciens caput videt et percipit capillos, ergo videt colorem capillorum. Nec obstat defectus latitudinis capillorum, quia, quamvis quilibet capillus habeat modicum de latitudine, tamen totum aggregatum habet sufficientem latitudinem ad hoc ut immutet visum sicut cineres et huiusmodi.

Rationes nove ad presentem conclusionem.

Probo iterum conclusionem principalem per rationes novas. Primo sic: contingit dare inter contraria immediata aliquam formam mediam eque distantem a summo gradu utriusque; verbi gratia contingit dare aliquam qualitatem mediam inter summam gravitatem et summam levitatem eque distantem ab utraque. Illa qualitas media est in aliqua specie, et non in specie alia ab extremis, quia tunc contraria data non essent immediata; ergo illa qualitas erit in eadem specie cum altero extremorum, et qua ratione cum uno eadem ratione cum altero, cum eque distet formaliter ab utraque; ergo utrumque extremum erit in eadem specie cum illa forma media; et per consequens sunt eiusdem speciei inter se. Probo assumptum primo sic: possibile est aliquod mobile transmutari // c. 104rb // a gravitate in levitatem ita quod illud mobile <sit> prius magis grave quam leve et postea magis leve quam grave; suppono etiam quod a sit totum tempus in quo mobile est magis grave quam leve, et b sit totum tempus in quo mobile est magis leve quam grave; et sit c instans medium copulans a et b ad invicem. Tunc quero aut illud mobile est in c equaliter grave et leve, et tunc habetur propositum; aut in c est magis grave quam leve; sed hoc non, quia illa maior gravitas non potest perdi in instanti, cum sit divisibilis; igitur post c gravitas excederet levitatem, cuius oppositum suppono; aut est in a magis leve quam grave; sed hoc non, quia illa maior levitas non fuit acquisita in instanti

199 *Verbum om. post dixit*

sed in tempore; igitur si in c sit magis leve, sequitur quod ante c fuit magis leve, quod est contra suppositum; igitur relinquitur quod in c sit equaliter grave et leve, quod est propositum.

Secundo, probo idem suppositum sic: moveatur aliquod mobile motu regulari a summa gravitate ad summam levitatem, et sit c instans temporis mensurantis illum motum; in c instanti forma sub qua est mobile equaliter distat ab utroque termino motus, quia, ex quo motus est regularis, quantum mobile acquirit per primam medietatem motus de termino ad quem, tantum et non plus de termino a quo perdiderit in hoc tempore; ergo motus perdit <medietatem> termini a quo et acquirit medietatem termini ad quem; et per consequens participat equaliter utriusque etc.

Tertio, probo suppositum sic: manifestum est quod aliquod corpus est magis grave quam leve, sed Deus potest auferre illud quod est plus de gravitate partis conservando totum residuum, sed si a maiori // c. 104va // auferatur illud in quo maius excedit minus, illa que remanent erunt equalia; igitur post ablationem illud corpus equaliter erit leve et grave. Hic dicitur quod non est dare unam formam que sit in una specie eque distantem a summis contrariorum immediatorum, tamen est dare unum agens eque distans ab utroque extremorum, et illud non est in una specie, sed una pars in una specie et alia pars in alia. Contra, quero de partibus illius aggregati: aut sunt pure non composite ex contrariis vel composite; si pure, tunc sunt in summa perfectione earum; et sic contraria in summo essent simul in eodem. Si autem sint composite ex extremis, aut igitur equaliter, et habetur propositum quod forma una existens in specie una equaliter distet a summis contrariorum; si composite, oppositum probant rationes facte. Contra: quia Commentator dicit contra Galienum primo *Celi et mundi* 2 et similiter 10 *Methaphysice* quod non est talis qualitas media; dico quod intelligit quod non inest alicui corpori naturali; quin tamen per actionem agentis possit esse talis qualitas media non dicit. Tu dices: omnis qualitas que inest alicui preter naturam inest alicui alteri secundum naturam, igitur erit alicui naturalis; dico quod non requiritur quod insit alicui alteri in eodem gradu, sed bene in eadem specie; nam calor inest aque preter naturam, et tamen nulli est naturalis in eodem gradu.

Secundo sic: convenit accipere aliquas formas infra latitudines contrariorum ita propinquas terminis latitudinum quod minus distant distantia formali quam alique due forme in eadem latitudine. Quod patet, quia citius et facilius fit transitus a forma unius latitudinis iuxta terminum ad formam aliam infra latitudinem iuxta terminum quam inter formas multum distantes in eadem // c. 104vb // latitudine; cum ergo omnes forme in eadem latitudine sint eiusdem speciei, sequitur quod in diversis latitudinibus que sunt propinquiores formaliter erunt in eadem specie, quod est propositum.

Tertio sic: tota latitudo caloris est propinquior toti latitudini frigiditatis formali propinquitate quam calor intensus calori remisso, quia tota latitudo caloris est immediata latitudini frigiditatis, et calor intensus non est immediatus calori remisso; cum ergo isti calores sint eiusdem speciei, sequitur quod ille latitudines erunt eiusdem speciei.

Quarto sic: quecumque sunt eiusdem speciei cum tertio, sunt eiusdem speciei inter se; sed contraria extrema sunt huiusmodi cum forma media; igitur etc. Minor probatur, quia si forma media, ut tepiditas, differt specie ab extremis, cum tepidum suscipiat magis et minus, oporteret quod haberet aliquem terminum intrinsecum qui esset mensura eius, per recessum a quo diceretur minus tepidum et per accessum ad quem diceretur aliquod magis tepidum; sed talem terminum non convenit dare, quia ille terminus vel gradus perfectissimus forme medie vel esset propinquissimus gradus alicui extremorum vel consisteret in medio rei inter extrema, vel esset infra latitudinem forme medie, et non extremum eius. Non est dare primum, primo quia cum forma aliqua est in gradu perfectissimo, non corrumpitur res nec facilius quam cum est in gradu imperfecto; sed cum forma media est in gradu propinquissimo alicui extremorum approximato contrario agente corrumpitur res ab agente quantumcumque debilius. Secundo, quia, cum est in gradu perfectissimo alicui extremorum, est propinquissima suo non esse, // c. 105ra // et non est in gradu perfectissimo quando est propinquissima suo non esse. Tertio, quia forma non intenditur cum continue tendit ad non esse; sed forma tendendo ad gradum propinquum alteri extremorum continue tendit ad non esse, quia ad suum impossibile seu contrarium; igitur etc. Oportet ergo, si differunt specie, quod haberent summum gradum infra latitudinem forme, qui vel consisteret in medio vel saltem

non esset extremum; sed hoc non potest dari. Probat: primo, quia ponamus quod sint duo tepida sub perfectissimo gradu tepiditatis, et uni approximetur calidum transmutans ipsum versus caliditatem, et alterum approximetur frigidum transmutans ipsum versus frigiditatem, et sint agentia equalis²⁰⁰ virtutis, ita quod <quantum>²⁰¹ unum potest calefacere tantum possit aliud frigefacere. Certum est quod utrumque transmutans remittit tepidum, quia facit eam recedere a summo gradu; utrumque etiam equaliter remittit, quia utrumque facit equaliter recedere. Tunc arguo sic: quando aliqua sunt equaliter tepida, si equaliter remittantur, erunt equaliter tepida; si ergo illa transmutentur in eodem tempore, in fine illius temporis erunt equaliter tepida; et ita duo quorum unum multum accedit ad calidum et aliud multum accedit ad frigidum erunt equaliter tepida; sed hoc non est verum, quia non possunt impossibilem operationem; <sed>²⁰² fiunt continue magis et magis dissimilia, igitur non manent equaliter tepida.

Secundo sic: quia motus intensionis et remissionis eiusdem forme essent continua non solum continuitate temporis sed etiam continuitate formali, quod non concedimus. Probo consequentia, quia possibile est quod aliquod moveatur continue ab uno extremo tepiditatis ad alium extremum, ut accipiendo aliquod frigidum per tepiditatem mediam vel e converso; iste motus est continuus secundum tempus et secundum // c. 105rb // formam eo quod forma secundum quam movetur est una secundum speciem; sed una pars istius mobilis esset motus intensionis ut illa pars que est versus gradum perfectissimum, et illa pars movetur que est ab illo gradu <et> esset motus remissionis, et iste partes sunt ad invicem contrarie; ergo etc.

Tertio, quia cum forma remittitur, non fit perfectius quam prius; sed forma precedens ab illo gradu versus contrarium perfectius fit perfectior quam prius, et tamen precedens ab illo gradu, si esset versus quodcumque extremorum, remitteretur; ergo etc.

Dico igitur ad istum argumentum propter istas rationes quod contraria que nata sunt fieri circa idem subiectum numero ens in actu sunt eiusdem speciei

200 Ms.: equaliter

201 Ms.: quando

202 Ms.: similiter

specialissime; unde lumen est una species specialissima in qua convenit reperire aliqua tantum distantia quantum distat albedo et nigredo, ut lumen intensum et lumen umbrosum. Et ideo non videtur magis inconviens ponere quod albedo et nigredo sint eiusdem speciei quam lumen umbrosum et splendidum sunt eiusdem speciei. Modus autem ponendi talis est: qualiscumque species continens contraria habet latitudinem graduum, et ita latitudo est data ex parte perfectiori et imperfectiori. Et utrumque contrariorum dicitur dupliciter, scilicet simpliciter et absolute et in respectu sive quodam modo; et unum contrarium absolute acceptum est unum extremum illius latitudinis, et remissum absolute dictum est aliud extremum. Inter ista vero extrema est unum medium eque distans formaliter ab utroque extremorum, quod quidem medium non debet denominari ab altero extremorum, sed vocabitur medium termini distantie formalis, id est medium equaliter distans ab utroque terminorum speciei in qua sunt contraria. Opposita autem media que sunt inter unum extremorum et illud medium rei nominantur nomine // c. 105va // illius extremi respective non simpliciter et absolute, et omnia media que sunt inter remotum extremum et illud medium rei nominantur nomine illius extremi non simpliciter sed in respectu. Verbi gratia dicendo quod color est una species specialissima habens latitudinem, eius terminus perfectissimus est albedo simpliciter et absolute dicta, terminus vero imperfectionis est nigredo absolute dicta; inter ista autem extrema est una forma media vel gradus medius equaliter distans ab utroque extremorum, sicut probatum est supra; et vocetur illud medium a, tunc quodlibet medium inter a et albedinem absolutam est albedo in respectu, et quodlibet medium inter a et nigredinem absolutam est nigredo in respectu. Et quia cognoscere medium est difficile, ut dicit Aristoteles secundo *Ethicorum*, nec scimus semper quando aliquid est ex una parte medii distantie formalis nec quando extrema, ideo quandoque illud quod est calidum vocamus frigidum et quandoque e converso, unde quod uni est calidum, alteri est frigidum et e converso.

Et contra istam conclusionem arguitur multipliciter. Primo, quia Aristoteles 10 *Metaphysice* dicit expresse quod contraria differunt specie.

Secundo, quia Aristoteles in multis locis et quasi ubique ponit contraria differre specie, unde contraria sunt que posita sub eodem genere etc.

Tertio, quia secundum hoc rationale et irrationale essent eiusdem speciei, cum sint contraria.

Quarto, quia tu ponis in eadem specie duo summa ut summam albedinem et summam nigredinem, quod est impossibile.

Quinto, quia ex quo tu ponis in eadem specie duo intensissima, eadem ratione debes ponere duo remississima; et redit difficultas contra te, qualiter potest esse motus ab uno in alio.

Sexto secundum dicta sua non erunt aliqua contraria mediata, quia inter nulla contraria est species media.

Septimo, quia per te contraria magis distant quam contradictoria, ergo si contraria erunt in eadem specie, contradictoria erunt in eadem specie, et sic omnia erunt in eadem specie.

Octavo sic: forme reddentes sua subiecta dissimilia differunt specie, quod patet quia similitudo est unitas? fundata super speciem; sed contraria sunt huiusmodi; ergo etc. // c. 105vb //

Nono sic: secundum speciem fit comparatio non secundum genus 7 *Physicorum*; sed secundum Commentatorem non fit comparatio, scilicet secundum albedinem et nigredinem, igitur etc.

Decimo, quia inter individua eiusdem speciei non est ordo essentialis; sed inter albedinem et nigredinem est ordo essentialis, quia albedo est perfectior nigredine et eius mensura; ergo etc.

Undecimo: caliditas est magis activa quam frigiditas; igitur non sunt agentia eiusdem rationis; igitur etc.

Duodecimo, quia tunc sequitur quod totaliter simile secundum speciem corrumpet sibi simile omnino, quia frigidum corrumpit calidum; et in frigido nihil positivum est nisi de specie calidi nec addit supra calidum nisi privationem; igitur vel simile omnino corrumpit simile vel privatio erit principium corruptionis.

Decimo tertio: sequitur quod due albedines non habent nullum commune eis, quia quero qua communitate esset commune, non nisi speciei; ergo etc.

Decimo quarto, quia secundum Philosophum primo *Posteriorum* si passio sit

univoca et subiectum erit univocum, et si equivocata equivocum; et si passiones sunt eadem secundum speciem et subiecta essent eadem secundum speciem; sed summus calor est passio ignis et frigiditas summa est passio aque non passe; igitur si caliditas summa et frigiditas summa sint eiusdem speciei, sequitur quod ignis et aqua erunt eiusdem speciei.

Ad primum dico quod Aristoteles ibi loquitur de contrariis dividendis idem; igitur ex opposito cuiusmodi sunt differentie contrarie, et iste differentie non habent fieri circa idem subiectum ens actu; sed quia ille sunt nobis incognite, ideo exemplificat de calido et frigido.

Ad secundum dico quod Aristoteles communiter loquitur secundum famositatem vel inquisitive; sed ubi procedit determinando dubitationem sive inquisitionem, ibi partim eligit determinando veritatem et ibi dicta sua sunt authentica, non autem ubi solum narrat vel inquit arguendo ad utramque partem; et quia istam questionem de ydentitate specifica contrariorum non disputavit, sed solum narrative processit, ideo dico quod ubique in ista materia loquitur secundum famositatem.

Ad tertium dico quod contraria qui habent fieri circa idem subiectum ens in actu sunt eiusdem speciei, nec loquor de aliis; sed rationale et irrationale non sunt huiusmodi; ideo etc. // c. 106ra //

Ad quartum dico quod non sunt duo gradus summi in perfectione, tamen in eadem specie bene sunt duo gradus summi: unus in perfectione et alius in imperfectione, unde per summum tale non intelligendo nisi illud quod est maxime tale, dico ergo quod in specie coloris est summa albedo, que est summus color in perfectione, et summa nigredo, que est color imperfectissimus et summus in imperfectione.

Ad quintum dico quod non oportet ponere albedinem remississimam nec nigredinem remississimam nisi ponatur quod medium rei distantie formalis sit remississimum utriusque contrariorum; et tunc non essent duo remississima, sed idem remississimum utriusque; nec forte est inconveniens dicere quod eadem qualitas simplex sit albedo in respectu et nigredo in respectu. Vel si ponamus quod medium rei distantie formalis non habet nomen alicuius extremi, tunc certum est quod non est dare remississimum calidum, quia ille esset calor

proximus illi medio rei; sed hoc non est dare, quia in formis suscipientibus magis et minus non est dare gradum proximum vel immediatum gradui, sicut in tempore non est dare instans immediatum instanti.

Ad sextum dico quod omnia contraria sunt mediata secundum magis et minus, quia inter omnes gradus contrariorum est gradus medius; sed nulla contraria de quibus loquimur sunt mediata secundum speciem vel formam, quia inter nulla huiusmodi contraria est species media; et ideo illa distinctio de contrariis, quod quedam sunt mediata, quedam immediata, est famosa et non vera.

Ad septimum dico quod quando dicis: si illa que sunt magis distantia sive quod magis distant sint in eadem specie, et illa que magis distant; verum est si utrumque sit in specie solum aut alterum contradictorium est in specie, quare ratio non valet.

Ad octavum dico quod maior est falsa; et quando dicitur quod similitudo est unitas fundata super speciem; dico quod similitudo proprie fundatur in eadem specie et in eodem gradu, sed large fundatur in eadem specie quamvis in alio gradu.

Ad nonum dico quod color est species specialissima et secundum colorem fiunt comparationes; album enim est coloratius nigro et sic de aliis.

Ad decimum dico quod inter // c. 106rb // individua eiusdem speciei non est essentialis ordo secundum efficientiam, quia unum potest agere reliquo non agente, tamen inter ea est essentialis ordo secundum perfectionem et eminentiam. Et hoc est verum de omni specie suscipiente magis et minus, vel saltem inter gradus eiusdem speciei suscipientis magis et minus est essentialis ordo; et hoc non negat Aristoteles tertio *Metaphysice*, sed solum ordinem secundum efficientiam.

Ad undecimum dico quod in eadem specie est aliquid magis album et aliquid minus album, ut patet de calore intenso et remisso.

Ad decimum secundum dico quod frigidum non inducit aliquod nisi de specie calidi, et cum hoc privationem calidi, tamen non inducit intrinsece privationem calidi magis quam e converso; et tunc dico quod frigidum et calidum non sunt similia quantum ad potentiam in eis, ymmo multum dissimilia.

Ad decimum tertium dico quod due albedines habent hoc nomen 'albedo' commune eis, quod quidem nomen non est speciei, sed est totum in modo vel quasi totum in modo, sicut hoc nomen 'vir' est commune duobus viris.

Ad ultimum dico quod propositio Aristotelis est intendenda de passione que convenit omni et soli et semper; nunc autem summus calor non est propria passio ignis, quia non semper consequitur ignem, nec summa frigiditas semper consequitur aqua; et ideo non sunt passiones de quibus loquitur Philosophus, quare non valet ratio.

Quia ponendo minimum naturale impossibile est evadere quin in eodem instanti contradictoria sint simul vera vel quod instantia sint immediata instanti vel quod agens naturale approximatum passo in mensura in qua hoc est natum agere et illud pati non agat nec passum patiat, quorum quodlibet est impossibile, ideo probo quod si contraria differunt specie, necessario oportet ponere numerum utriusque contrariorum. Probatur sic: quandocumque est motus ab una forma specifica ad aliam distinctam specie est dare primum instans in quo est sub forma precedenti tertio *Physicorum*; nam est dare unum totum tempus in quo est sub forma priori et aliud tempus in quo est sub forma posteriori, et in instanti medio est sub forma precedenti. Quero tunc aut forma sub qua est mobile sit remississima istius forme aut non. Si detur quod sic, habetur propositum, quod // c. 106va // illa species habet remississimum; si detur quod non, tunc illa species habet remississimum individuum; cum igitur individuum remissius sit medium inter formam priorem et individuum forme precedentis, et impossibile sit transire de extremo in extremum nisi per medium, sequitur quod mobile fuit sub forma posteriori ante illud instans primum, quia sub forma remissiori speciei precedentis. Et ita non esset dare primum illius forme; quod est impossibile. Si dicatur quod non oportet quod mobile prius sit sub forma remissiori, quia non oportet transire per omnia media; contra: quia tunc posset esse transitus ab una specie ad intensissimum gradum alterius speciei non transeundo <per> aliquam formam remissam forme precedentis, quod videtur impossibile. Consequentia patet, quia qua ratione non oportet transire unum medium, eadem ratione non oportet transire aliquod eiusdem rationis. Item, quamvis esset possibile transire de extremo in extremum non pertranseundo aliquod medium, quod tamen est impossibile, possibile tamen est transire per

omnia media eiusdem rationis. Ponamus igitur quod mobile transeat a calido in frigidum per omnia media; tunc est dare primum instans in quo est sub frigiditate, aut ergo illa frigiditas est remississima, quod est propositum; aut non, et tunc frigiditas remissior erit medium; et sic prius fuit sub frigiditate remissiori, et ita non est dare primum instans in quo fuit sub frigiditate. Item, transiens ab extremo in extremum motu regulari in medietate tempore pertransit medietatem distantie inter extrema; et per consequens in toto tempore pertransit totam distantiam; et per consequens omnia media. Item, secundo *De anima* omnium natura constantium determinatur etc.

2. Corrado di Megemberg, *Tractatus qui probat oppositum quarte conclusionis principalis Burlei*

// c. 89va // **Primum capitulum**²⁰³

Ego ad honorem Dei floribus Virginis asserviens intendo in hoc capitulo declarare utrum forme contrarie sicut calor et frigus, albedo et nigredo sint eiusdem speciei specialissime.

Et arguitur primo quod sic. Non plus differunt termini alterationis quam augmentationis; sed eius contrarie sunt eiusdem specialissime speciei; ergo et termini alterationis. Maior patet, quia quomodo augmentatio secundum naturam verus motus sit, et alteratio; minor patet: nam augmentatio est de minori quantitate ad maiorem, que specie non differunt.

Secundo sic: colores non differunt specie, ergo nec alia contraria. Antecedens probatur, nam ut Aristoteles dicit in libro *De sensu et sensato*²⁰⁴ colores componuntur ex luce et oppaco, et lux est principium formale in omnibus coloribus, et quia lux est eiusdem speciei, ergo et colores sunt eiusdem specialissime speciei, cum unitas specifica sive et distinctio specifica sint a forma. Sed consequentia principalis patet ex hoc, quia colores ita vere contrariantur sicut alia contraria; similiter etiam non minus videntur opponi et distingui quam quecumque alia contraria.

⟨In oppositum⟩

In oppositum arguitur per diffinitionem contrariorum quam Aristoteles ponit 10 *Metaphysice*²⁰⁵ dicens «contraria sunt que sub eodem genere ponuntur et maxime a se invicem distant etc.» Sed hoc non potest intelligi²⁰⁶ de distantia situali, cum contraria possent esse immediata secundum situm, ergo intelligatur de distantia formali maxima; que autem sunt eiusdem specialissime speciei non distant maxima distantia formali sub eodem genere; relinquatur ergo quod secundum mentem Aristotelis contraria non sunt eiusdem specialissime speciei.

203 *In marg. ext.*

204 Arist., *De sensu*, 3, 439b10-17.

205 Arist., *Metaph.*, X, 4, 1055a4-10; A.A., 135, n. 243.

206 Ms.: intelligere

De ista questione quidam dicunt, et pauci, quod contraria sint eiusdem specialissime speciei. Et hanc conclusionem quadrupliciter probare nituntur. Primo loyce, secundo physice, tertio ethice, quarto medicinaliter.

Primo arguitur sic: quodcumque aliqua equaliter distant distantia formali a perfectissimo in aliqua specie, si unum illorum est in illa specie etiam reliquum erit in illa specie; et si illud quod remotius a perfectissimo est sit in eadem specie cum perfectissimo, et illud quod est propinquius propinquitate formali erit in eadem specie cum perfectissimo illo, quo modo illud est magis tale quod accedit magis ad summum tale. Sed est dare aliquam frigiditatem eque propinquam summo calori cum aliquo calore dato; similiter est dare aliquam frigiditatem propinquiorem summo calori aliqua caliditate data; quare etc. Minor probatur, et supponuntur duo fundamenta, quarum primum est quod rei permanentis producte in esse per alterationem est dare primum instans in quo habet «esse». Ratio est quia in ultimo instanti temporis mensurantis alterationem habet terminus alterationis primo esse; si enim prius haberet esse, alterabile primo moveretur ad formam quam habet. Secundum fundamentum est quod rei permanentis corrupte per alterationem non est dare ultimum instans in quo habet esse. Ratio est quod²⁰⁷ si est dare ultimum instans in quo res talis habet esse, illa res corrumpetur in non tempore, et sic non per alterationem.

Istis suppositis arguitur et supponitur casus possibilis, scilicet quod aliquid transmutetur a summo calido in frigidum. «Per»²⁰⁸ primum suppositum est dare primum instans in quo est sub frigido, et sit illud instans a; ponatur tunc quod statim sit approximat²⁰⁹ «unum calidum»²¹⁰ tante virtutis in immutando ipsum «in» summum calidum et in appropinquando ipsi summo calido propinquitate formali, quante virtutis fuit transmutans ipsum versus frigidum faciens ipsum distare a summo calido. Hoc enim est possibile. Tunc, cum non sit dare ultimum instans in quo talis res permanens habet esse, ut patet per secundum sumptum, sequitur quod adhuc post a erit illud corpus sub frigiditate; et signetur aliquod instans post a in quo illud corpus erit sub frigiditate, et sit c; «accipio tunc unum instans ante a in quo illud corpus fuit sub caliditate tantum distans

207 Ms.: quomodo

208 Ms.: circa

209 Ms.: approximata

210 Ms.: una alia agens; *add. et del.*: in quo

ab a ex parte ante quantum c distat ab a ex parte post et sit illud instans b». // c. 89vb // Tunc arguo sic: quantum illud corpus sub recessu a summo calido ad frigidum amisit de calido²¹¹ in tempore a b²¹², tantum per accessum ad summum calidum acquisivit in tempore a c; et per consequens quantum perdidit de propinquitate formali inter b et a, tantum acquisivit de propinquitate formali inter a et c; igitur eque propinque formaliter summo calori est in c sicut fuit in b; sed in c est sub forma frigiditatis, et in b fuit sub forma caliditatis; ergo caliditas quam habet in b et frigiditas quam habet in c sunt vel fuerunt eque propinque propinquitate formali. Et sic patet prima pars minoris. Tunc alia pars minoris etiam probatur, scilicet quod aliqua frigiditas est propinquior summo calori propinquitate formali quam aliqua caliditas data, quia signetur instans in medio temporis inter a et b, et sit illud instans d, et in d instanti qualitas illius medii dati fuit caliditas, quia semper a fuit sub caliditate in tempore a, et nunc sua qualitas «est»²¹³ frigiditas. Sed in d sua qualitas magis distabat formaliter a summo calore quam qualitas que habuit in c, eo quod magis accessit qualitas mobilis versus summum calorem formaliter in tempore inter c et a quam in tempore d; igitur frigiditas²¹⁴ nulla fuit in instanti d. Et sic patet secunda pars minoris determinata.

Secundo arguitur ad conclusionem principalem sic physice: si albedo, nigredo, fuscedo et rubedo differunt specie, sequitur quod transiens a specie extrema ad speciem extremam, distantem per speciem mediam, prius transeat per species medias. Consequens falsum, quia tunc transiens a nigredine ad albedinem necessario prius erit sub rubedine et viriditate; et sic capilli nigri, cum canescerent, prius fierent virides et rubei antequam albi; quod falsum «est». Consequens vero tenet per diffinitionem medii que datur «quinto»²¹⁵ *Physicorum*²¹⁶ et 10 *Metaphysice*²¹⁷ «medium est in quo transmutans devenit «prius» quam ad extremum». Si dicatur quod non oportet²¹⁸ transire per omnes species

211 Ms. add. amisit

212 Ms. iter. tunc arguo sic: quantum illud corpus sub recessu a summo calido ad frigidum amisit de calido in tempore a b a parte post et sit illud instans b. Ms. add. a

213 Ms.: fuit

214 Ms. add. sub qua

215 Ms.: secundo

216 Arist., *Phys.*, V, 3, 226b1 segg.; A.A., 152, n. 148.

217 Arist., *Metaph.*, X, 7, 1057a20-28.

218 Ms. super lin.

medias <sed> per aliquas; contra: diffinitio medii debet competere omni speciei medi<e>²¹⁹ cum conveniet medio secundum quod ipsum. Item, species coloris, si species habe<n>t, se haben<t>²²⁰ secundum ordinem, ita quod una est propinquior albedini et alia remotior; si ergo mobile debeat transire a nigredine ad albedinem per aliquam speciem mediam, aut ergo ista species est immediata nigredini aut non. Si detur quod sic, transibit per omnia media ratione viriditatis in ordine; autem si detur non²²¹, etiam contingit transire de extremo ad extremum per illum medium ex quo fit viriditas in speciebus illis <in quibus> non determinat transitum talem. Item, colores medii componuntur ab extremis secundum vari<a>s²²² proportiones; cum igitur in transmutatione ab extremo ad extremum oporteat transire omnes illas proportiones, sequitur quod transiens a nigredine ad albedinem necessario transibit per omnes species medias.

Tertio, autem ad principalem physice²²³: impossibile est quod contraria eiusdem specialissime specie<i> sint magis contraria quam contraria diversarum specierum; sed aliqua duo que sunt eiusdem specialissime specie<i> sunt magis contraria quam aliquod calidum datum et aliquod frigidum; ergo calidum et frigidum non sunt diversarum specierum. Maior patet de se; minor probatur, quia actio est ratione contrarietatis, ut patet primo *De generatione*²²⁴; ergo illa contraria que inter se agunt et patiuntur magis sunt contraria quam illa que non. Sed aliquod calidum valde intensum, sicut ignis, agit in calidum remissum, ut in aerem, et aliquod calidum non agit in aliquod frigidum, sicut pars maris <cale>facta a scintilla non agit in partem maris sibi immediatam, aliter scintilla parva calefaceret totum mare; quod est absurdum.

Quarto arguo ad principale sic: <aliqua>²²⁵ virtus et aliquod vitium sunt contraria et tamen sunt eiusdem speciei quia generantur ex actibus eiusdem speciei, ut patet de duobus militibus quorum unus militat pro re publica, alius pro pecunia vel alio fine malo, et tamen ambo actus militandi sunt eiusdem speciei; unus generat habitum virtutis et alter habitum vitiosum, qui sunt habitus contrarii, et tamen eiusdem specialissime speciei; quare etc.

219 Ms.: media

220 Ms.: habens

221 Ms.: non detur

222 Ms.: varios

223 Ms. *add. sup. lin.*: est

224 Arist., *De gen. et corr.*, I, 4, 319b10 segg.

225 Ms.: et hec?

Quinto sic medicinaliter, quia sumo sanitatem et egritudinem non formaliter pro respectibus qui sunt proportionales humorum, sed pro rebus absolutis; certum est quod secundum medicos contrariantur, et tamen non differunt specie; nec sunt humores proportionati, qui non differunt specie in sano et egro.

Sexto sic: contraria per se sentiuntur ab una potentia sensitiva, ergo sunt eiusdem specialissime speciei. Antecedens patet de albo et nigro respectu visus et de dulci et amaro respectu gustus <que contrariantur>²²⁶ propter equivocacionem in tangibilibus; Aristoteles secundo *De anima*²²⁷ negat veritatem in tactu, sed certum est quod in omni genere latet equivocatio, ut patet septimo *Physicorum*²²⁸; quare etc.

Iste sunt rationes fortiores dicte opinionis.

Capitulum secundum

Sed mirandum est de venerabilibus viris quare potius reputationi studeant quam veritati: nam si quis subtiliter inspexerit equa facilitate poterit dici omnia accidentia eiusdem specialissime speciei esse qua dicitur contraria maxime propria dicta esse eiusdem speciei. Quapropter sequens capitulum est distinguere modos contrarietatis ad videndum de quibus contrariis questio intelligatur; tertium capitulum est videre causas²²⁹ per qua(s) arguimus aliqua specificiter differre; quartum est ponere conclusiones questionis veras cum rationibus suis; quintum est quod contraria <non esse eiusdem speciei>; et ultimum est videre et solvere rationes alias.

Quantum ad primum est videndum quod contraria differunt quadrupliciter, scilicet communiter, proprie, magis proprie et maxime proprie.

Contraria communia sunt impossibilia extrema simul et semel in eodem secundum idem sui respectu eiusdem, quo modo privative opposita vel correlativa vel etiam contradictoria dicuntur contraria. In quo sensu²³⁰ primo *Physi-*

226 Ms.: contrariam quia

227 Arist., *De anima*, II, 11, 422b24 segg.

228 Arist., *Phys.*, VII, 4, 249a22-24; A.A., 155, n. 193.

229 Ms. add. argumentans

230 Ms. add. Aristoteles

corum²³¹ Aristoteles utitur contrariis in isto capitulo «quamvis igitur contraria principia», et ubi concedit prima principia rerum naturalium esse contraria; et cum hoc non posset intelligere de materia, oportet ut intelligatur de habitu et privatione. Nam hec tria ponit Aristoteles ibidem prima principia rerum naturalium, scilicet materiam, formam et privationem.

Contraria propria sunt due forme positive eiusdem generis que eidem simul inesse non possunt, ut sensibile et insensibile et sicut forma hominis et forma asini. Sed in hoc sensu possumus loqui de contrario vel loyce quantum ad differentias oppositas eiusdem generis constituentis in esse diversas species eius, vel magis essentialiter quantum ad formas que sunt altere partes proportionales in natura. Et in utroque sensu posita sunt exempla. De propriis hoc modo loquitur Philosophus frequenter quarto *Metaphysice*²³², unde Averroes²³³ XXI^o super eodem dicit omnia contraria que sunt in definitionibus, scilicet que accipiuntur in eis pro differentiis, faciunt diversitatem secundum speciem, scilicet faciunt species diversas. Item, <Averroes>²³⁴ autem dicit in eodem commento quia quedam contraria sunt forma que est pars substantie // c. 90ra // rei²³⁵s per quam diffinitur. Item, in eodem libro²³⁶ commento XXIV dicit Averroes contrarietas est in forma per quam dividi dicuntur prima genera donec perveniatur ad illa que non dividuntur secundum formam, et sunt ultime species, que dividuntur in individua.

Contrarie magis proprie sunt due forme opposite immediate et per se a qualitatibus primis activis et passivis resultant<es>²³⁷ per mutuam actionem et passionem in eis, veluti sunt qualitates odorabiles per se, puta dulce, amarum preatum, salicum et huiusmodi. Et dico non causantur per se et immediate propter substantias et qualitates que magis mediate et magis per accidens causantur ab illis. Ista ergo contrarietas neganda est in substantiis, qualitatibus et relationibus, sed concedenda est in actionibus et passionibus illarum qualitatum, quo sensu Aristoteles dicit calefacere contrarium esse ad frigefacere et calefacere ad frigefieri.

231 Arist., *Phys.*, I, 7, 190b29 segg.

232 Arist., *Metaph.*, II, 2, 1004a17 segg.

233 Averr., *In IV Metaph.*, comm. 21, ARISTOTELES 1560, VIII, 116r-117r.

234 Ms.: Gale

235 Ms.: res

236 Averr., *In IV Metaph.*, comm. 34, ARISTOTELES 1560, VIII, 119r-v.

237 Ms.: resultantis

Contraria maxime proprie sunt due forme eiusdem generis formaliter differentes, que non compatiuntur se in eodem subiecto simul et semel, quarum una per se et intrinsece est activa in aliam et remotam cuius a subiecto. Hec contrarietas tantum in qualitatibus activis et passivis primis reperitur, unde neganda est in omnibus aliis rebus; nam sicut <forme> substantiales non agunt sic in se invicem nisi mediantibus qualitatibus suis, similiter nec qualitates nec alie res, ut patet inducendo.

Alia vero omnia in diffinitionibus contrariorum posita etiam aliis formis conveniunt a qualitatibus primis. Unde patet quod diffinitio contrariorum que communiter ponitur ab Aristotele 10 *Metaphysice*²³⁸ etiam convenit²³⁹ substantiis et aliis formis, cum dicitur quod «contraria sunt que sub eodem genere posita sunt et maxime a se invicem distant» et eidem succedunt <et> vicissim insunt; et per consequens non est diffinitio contrariorum magis proprie nec maxime proprie dictorum. Potest etiam aliter diffinitio contrariorum dari, scilicet quod contrarietatum alia sensualis alia arguita. Contraria sensuality sunt que se ipsis oppositis differentiis sensibus exterioribus offeruntur, ut calidum et frigidum, molle <et durum> in tactu, dulce et amarum in gustu, redolens et olens in olfactu, vox acuta et gravis in auditu, album et nigrum in visu. Contraria vero arguita sunt quorum quidditates ex operationibus et effectibus eorum iudicantur differentes per discursus rationis, sicut patet de habitibus virtutum et vitiorum oppositorum ad invicem, vel ut avaritia et liberalitas, lubricitas et ast<inent>ia²⁴⁰ et huiusmodi. Item, alia diffinitio est quod contrariorum quedam sunt perfecte contraria, ut quemadmodum extrema albedo et nigredo; alia in perfectione contraria ut media inter extrema.

Capitulum tertium

Consequens est in hoc tertio capitulo videre causas secundum quas arguuntur aliqua specificiter differre.

Iuxta quod notandum quod huius distinctionis non potest esse causa efficiens propinqua²⁴¹, quoniam idem calor in specie causatur a diversis agentibus

238 Arist., *Metaph.*, X, 4, 1055a4-10; A.A., 135, n. 243.

239 Ms.: conveniunt

240 Ms.: astantia

241 Ms.: causam effectus propinquum

propinquus in specie, sicut patet de festuca incensa per radium solarem in speculo refractum aut in vitro pleno aqua liquida et fontali, et de calore generato per calorem ignis. Non enim puto aliqui dubitare quin illi duo ignes utrobique generati sint eiusdem specialissime speciei; similiter et calores earum.

Item, hoc patet de figuris animalium, que non solum per naturam sed etiam generantur per artem, verbi gratia gemme reperiuntur figuras hominum vel aliorum animalium habentes, ut patet in scientia de mineralibus; et eedem figurantur in specie per artem sculpendi gemmas et sigilla.

Nec ydemptitas specifica agentis propinqui arguit unitatem specificam in effectu, quomodo idem motor propinquus sicut animal apparens post se ipso moveri circulariter super plano vel etiam motu recto super eodem, et tamen certum est quod circulare et rectum differunt sensu.

Unde, licet idem in quantum idem semper sit natum facere idem²⁴², tamen potentie valentes ad opposita etiam nate sunt facere non idem; aliter enim immediate non valent ad opposita, quod falsum est precipue in voluntate, que est appetitus rationis. Nichilominus reperiuntur effectus in natura sic ordinati qui non nisi a similibus sibi in specie poterunt generari, ut homo ab homine, equus ab equo.

Item, reperiuntur effectus qui²⁴³ a dissimili specie generantur, sicut patet de ranis et muribus et consimilibus, que tamen eiusdem speciei existentia ab eodem agente in specie certe et determinate producuntur, sicut ab eadem virtute celi in materia consimiliter disposita; verbi gratia rane in aqua producuntur ex humore putrido determinato; similiter rane generantur in aere alto ex viscosa exalatione et putrida, que similis est in suis qualitatibus precedenti humori; etiam generantur rane de atriplicibus positis in olla concava qua oppilata olla rudi? calor foliorum atriplicis non habent liberam exalationem in se extingui?, et quia tunc materia foliorum atriplicis habuit maiorem comparisonem ad formam ranarum et ad essentiam earum, ideo a virtute celi, que est datrix determinata talis forme, datur sibi form<a>²⁴⁴ rane et essentie eius. Et debes scire quod dictorum causa non potest dari nisi quia sic est ex naturis rerum, nec nul-

242 Cf. Arist., *De gen. et corr.*, II, 10, 336a27-28; A.A., 170, n. 43.

243 Ms.: quia

244 Ms.: forme

lis effectibus arguimus ydemptitatem specificam propter ydemptitatem cause efficientis, primo via generationis notitie, cum sit nobis occultior <efficientis>²⁴⁵, ymmo e contra ex ydemptitate specifica effectuum arguimus ydemptitatem efficientis cuius determinati ? dispositiones contrarias tali generationi in materiis diversis. Videtur etiam quod ydemptitas agentis remoti et naturalis non arguat ydemptitatem in effectum, quoniam idem radius diversis efficientibus dispositis determinatus coagulat lutum et glaciem dissolvit. Ex hiis clare videre potest cum causa sit ? in habitudine cause efficientis ad effectum, quia universalis regula dari non potest qualiter ad ydemptitatem vel differentiam efficientis cause secundum speciem sequitur ydemptitas <vel> differentia specifica in effectu.

Resolvamus igitur et nunc materiam in differentias suas ad videndum utrum ad diversitatem specificam materie sequatur diversitas specifica in effectu. Dicitur ergo²⁴⁶ <quod> prima <matéria> non arguit diversitatem specificam in rebus generabilibus, cum ipsa sit eiusdem rationis in omnibus; sed materia ex qua propinqua habet converti cum effectu verissime arguit diversitatem in effectu. Non enim quodlibet fit ex quolibet sed determinatum ex determinato: pirus enim non fit ex semine olive nec oliva ex semine bovis, et sic de consimilibus.

Item, determinatio propinquitatis materie magis est ex parte forme quam ex parte materie; nam forma est finis gratia cuius dispositiones tales inducuntur, sed secundum exigentiam finis oportet cetera moderari, ut dicit Linconiensis²⁴⁷ primo <Posteriorum>²⁴⁸; unde Averroes secundo *De anima*²⁴⁹ commento 60^o: «melius est estimare quod causa in diversitate materie est diversitas formarum, non quod diversitas materie sit causa in diversitate formarum». // c. 90rb // Similiter de materia in qua remota dicendum est sicut de materia ex qua remota et²⁵⁰ de materia in qua propinqua²⁵¹ sicut de materia ex qua propinqua etiam convertibiliter. Nichilominus hec regula non potest esse generalis in <agentibus>²⁵²

245 Ms.: effectus

246 Ms. *add.* materia ex qua etc. quam materia ex qua

247 Grossatesta, *In Post. Anal.*, I, 4, 155-160; GROSSETESTE 1981, 116.

248 Ms.: Priorum

249 Averr., *In II De anima*, comm. 60, ARISTOTELES 1560, VII, 58r.

250 Ms.: est

251 Ms. *add.* et convertibili

252 Ms.: atriplicis

sicut nec in effectibus, scilicet quod ad distinctionem vel unitatem specificam materie propinque arguatur distinctio vel unitas specifica in effectu, quomodo elementa 4 ignis, aer, aqua, terra secundum esse magis et minus refractum. Similiter materia ex qua propinqua cuiuslibet mixtorum secundum magis et minus non diversificat speciem, et tamen ibi resultant mixta diversarum specierum. Nec valet si dicas quod in elementis refractis diversimode sint diverse proportionales; queram enim de materia propinqua illarum proportionum, et certum est quod sunt elementa; et sic redibit primum.

Item, ad distinctionem specificam materie circa quam non distinguerentur res specificè universaliter loquendo, quia certum est quod potentia intellectiva est una secundum speciem, et tamen obiectum eius adequatum, quod est ens, non solum diversificatur secundum speciem, sed etiam generalissimo genere; quare etc. Sic ergo patet qualiter idem iudicium est de materia quam est de efficiente quantum ad distinctionem specificam arguendam in effectibus eius.

Item²⁵³, <ad> finem accedamus. Est igitur finis duplex, ut vult Aristoteles secundo *De anima*²⁵⁴, scilicet finis quo et finis gratia cuius. Finem quo dicimus rem perfectam qua res formaliter attingit suum perfectum esse et completum; et sic anima dicitur finis quo ipsius animati secundum quod animatum. Unde Averroes secundo *De anima*²⁵⁵ commento 37 dicit de fine: «illud enim propter quod enim finis dicitur duobus modis, quorum unus est illud propter quod invenitur aliquid, et ista est proportio anime ad corpus. Et alius est <illud> cuius est hoc propter quod invenitur aliquid, et ista est proportio anime ad animatum; dicimus enim quod anima et corpus utraque non sunt nisi propter animatum». Ex quibus verbis clare patet quod finis dicitur dupliciter, scilicet <quo et gratia cuius>: gratia cuius²⁵⁶ est illa res propter quam est perfectio rei²⁵⁷ prima. Sed finis quo est duplex, scilicet actus primus et actus secundus, quoniam utrumque, et illud quo attingitur formaliter finis gratia cuius. Quod autem²⁵⁸ primus sit finis quo iam patuit auctoritate Averrois secundo *De anima*, qui ponit animam esse finem quo animati sunt super illo verbo Aristotelis: «manifestum autem

253 Ms.: igitur

254 Arist., *De anima*, II, 4, 415b2-3, 20-21; A.A. 181, n. 82.

255 Averr., *In II De anima*, comm. 37, ARISTOTELES 1560, VII, 50r – v.

256 Ms. add. qui

257 Ms.: res

258 Ms. add. et del. finis

est quod etiam cuius gratia anima causa est»; et aliquibus interpositis Aristoteles subdit: «duplex autem dicitur quod cuius causa est et quod cuius et quod quo». Super quam distinctionem cadit auctoritas Averrois iam allegata. Unde anima, que est actus primus animati, dicitur finis animati quo, et dicitur finis gratia cuius materie ut nunc cum perficit eam anima. Sed quod actus secundus dicitur finis quo ipsius rei patet per Aristotelem circa finem quarti *Metaphysicorum*²⁵⁹ ubi dicit: unumquodque entium naturalium ordinatum est in propriam operationem; numquam enim potest dici ens tale et in quantum non potest dicitur²⁶⁰ tale nisi equivoce. Igitur operatio propria rei est qua res est tamquam propter illud quo potest attingere finem gratia cuius. Item, finis gratia cuius est duplex: scilicet propinquus et remotus. Finis gratia cuius est qui²⁶¹ convertitur cum re ordinata ad finem, ut felicitas humana cum homine; remotus est qui non convertitur cum re, sicut Deus est finis omnium rerum. Tunc dico breviter formam essentialem rei et aliquam convertibilem cum re secundum quod constituit gradum essentialem causa determinata universi, etiam de causa specificæ distinctionis in rebus ex natura rerum. Dico autem secundum quod constituit gradum essentialem ordinis universi ad²⁶² differentiam forme huius que cum hoc convertitur, in quantum hoc etiam ab alia forma non nisi materialiter differt, ut patet de duabus formis humanis que antequam solum materialiter distincte faciunt inter se ordinem non essentialem sed accidentalem tantum, ut patet ex secundo *Metaphysice*²⁶³. Ulterius dico quod si forme rerum essentielles a nobis occulte et operationes proprie istarum manifeste, tunc ex operationibus propriis distinctis specificæ arguimus formas specificæ distinctas. Unde Averroes secundo *De anima*²⁶⁴ commento 146 dicit de operatione potentie vegetative; cum igitur cognoscimus hanc operationem proprie, tunc cognoscimus substantiam huius virtutis proprie, scilicet virtutis vegetative. Sed sicut est de virtute vegetativa et sua operatione propria, sic est de omnibus formis et operationibus earum; unde sicut transmutatio fecit scire materiam, sic operatio formam. Ulterius dico quod de efficiente sensualitatis operationis et etiam forme ? huma-

259 Cf. Arist., *Metaph.*, IV, 5, 1010b14-25.

260 Ms. *add. et del. tras*

261 Ms.: quem

262 Ms. *add. et del. formam*

263 Arist., *Metaph.*, II, 2, 994a24 segg.

264 Averr., *In II De anima*, comm. 146, ARISTOTELES 1560, VII, 88r.

na utitur longis²⁶⁵ discursibus ab aliis distantis est?? quousque pervenitur ad propria actio extraneorum, et ulterius ad causandas ipsas iam arguendo in hiis ostensive nec <deducendo>²⁶⁶ ad impossibile, sicut patet per viam investigandi qualitates substantiarum separatarum.

Tandem dico quod si efficiens fuerit idem specie, materia propinqua eadem specie, forma eadem specie et finis idem specie; tunc certum est <effectum> idem specie; sed non convertitur sicut probatum est supra.

Item, per oppositum si omnia illa differunt specie in uno tanto in omnibus aliis causis alterius causati dictum est quod causata differunt specie, sed non convertitur, ut patet ex superius declaratis.

Posset tamen probabiliter addi quod omnis forma specifica in rebus generabilibus habet suam virtutem manifestam determinatam per quam effective ab aliis distinguitur. Unde Aristoteles secundo *De generatione*²⁶⁷ forme omnium specierum generabilium sunt in terminis et in virtutibus celorum; et si sic, tunc tales virtutes efficientes sunt convertibiles cum effectibus suis. Sed hec causa in intelligentiis poni non potest et similiter in rebus eternis. Et in hoc sit finis capituli tertii

Capitulum quartum

Nunc in isto capitulo quarto volo ponere conclusiones que michi videntur in illa questione.

Quorum prima est quod contraria antedicta non sunt eiusdem specialissime speciei. Ista videtur de se nota, quoniam ridiculum esset dicere quod privatio et habitus vel ens et non ens essent eiusdem specialissime speciei.

Secunda conclusio est quod contraria proprie non sunt eiusdem specialissime speciei, ut sunt differentie specificæ que ex opposito dividunt aliquod genus et constituunt diversas species illius generis in esse. Ista etiam patet de se, quia aliter enim non constituerent formaliter diversas species in esse.

Tertia conclusio: quod contraria magis proprie differunt specie et similiter contraria maxime proprie ut dulce et amarum, calidum et frigidum. Ad quam

265 Ms.: longibus

266 Ms.: dicendo

267 Arist., *De gen. et corr.*, II, 10, 336 a 32.

probandum suppono 6 propositiones. Quarum prima est quod si tales forme essent eiusdem specialissime speciei, tunc non different nisi secundum magis perfectum et minus perfectum vel secundum magis intensum et minus remissum esse. Ratio est quia ratione coniunctorum et extraneorum quibus sumantur subiecti diversi contrarie differre non possunt, cum calor in aqua et calor in igne non contrariantur; vel si contrariantur, hoc tamen non est in quantum unus illorum stat in sicco et alter in liquido subiecto, sed in quantum unus est remissior altero; et sic habetur propositum.

Secunda propositio est quod si forme contrarie essent eiusdem specialissime speciei, tunc ex natura rei esset dare gradum determinatum infra esse // c. 90va // intensissimum et esse remississimum, quem gradum si excederet remissione esset reliquum contrariorum. Ratio est quoniam aliter sub quocumque gradu intensionis vel remissionis posset esse utrumque contrariorum, quod est absurdum, quia tunc ubicumque calidum ibi frigidum et e contrario. Signetur iste gradus <intensibilis>²⁶⁸ contrariorum et vocetur a propter sequentem propositionem.

Tertia propositio est quod in gradibus tribus eiusdem qualitatis forme intensibilis quantum primus distat a secundo in perfectione tantum secundus distat a tertio; ratio est quoniam aliter non essent eiusdem qualitatis, cuius oppositum supponitur. Dico autem in gradibus eiusdem qualitatis, ad differentiam graduum eiusdem proportionis qui sunt infiniti secundum successionem intensionis et remissionis. Vel si ponas unum gradum formaliter forme intensibili, adhuc habes ponere diversa et perfectionalia secundum magis et minus esse sub mensuris eiusdem gradus cuius perfectio attingendi per successionem intensionis educitur et ipsius <sub mensura>²⁶⁹ et permissioni permanetur; ergo dicitur proportio apta est ad utrumque modum loquendi.

Ex quo autem per secundam propositionem a habet gradus determinatus in perfectione; sumatur unus gradus ultra ipsum versus esse intensum et vocetur b, et alius infra ipsum versus esse remissum et vocetur d, ita quod c tantum distet formali distantia ab a quantum a distat a gradu b. Tunc necessarium est quod a formaliter intendatur in altero contrariorum et formaliter excludatur ab

268 Ms.: essentialis?

269 Ms.: submersio

aliquo quantum addit quod contraria sunt et ista sit propositio quarta. Ratio est quia, cum talis gradus sit divisibilis eo quod sit pars integralis totius forme, de tali enim gradu loquitur; tunc non poterit esse gradus utriusque contrariorum in quantum huiusmodi; aliter enim idem formaliter et ultimate esset contraria; quod est falsum.

Quinta propositio est quod eadem est proportio ipsius c ad a in mutatione specifica que est proportio ipsius a ad b in mutatione sensitiva in eadem specie. Ista sequitur ex propositione quarta: quoniam unumquodque sensitivum per se et proportionatum sic est natum immutare sensum sicut habet esse. Sed dicti tres gradus habent esse secundum dictam proportionem; ergo etc.

Sexta propositio est quod contraria <que> formali distantia distinguuntur formaliter eundem sensum²⁷⁰ immutarent quam duo gradus intensionis immediati. Huic propositioni veritatem <experimur>²⁷¹ sensibiliter, quia nullus dubitat quoniam duo gradus calor intensior et remissior magis convenient in ratione immutandi eundem sensum quam prius et calor inveniatur. etiam patet ex hoc, quoniam aliter non esset ratio quare gradus a diceretur alterum contrariorum respectu gradus b quam gradus c respectu gradus a. Istis suppositis arguitur sic: si contraria essent eiusdem specialissime speciei, sequeretur quod haberent eandem rationem formalem per se immutandi sensum eundem; antecedens est falsum, quare etc. Falsitas antecedentis patet per sextam propositionem; et consequentia patet per 5 propositiones. Prima hec: consequentia falsa sequitur etiam quod contraria sub eadem ratione immutarent intellectum quia, ut dicit Averroes secundo *De anima*²⁷² commento 92: apprehensio differentium sensibilium a sensu est causa in comprehendere causarum ab intra; unde qui caret sensu caret intra illius generis sensibilium. Secunda ratio ad eandem conclusionem probandam sit ista: quecumque sunt eiusdem specialissime speciei possunt esse ab eisdem per se causis; et si sint effectus eque intensi possunt esse ab eisdem causis eque intensis et eque dispositis in causando; sed duo contraria sicut motus sursum et motus deorsum secundum adversarium sunt eiusdem specialissime speciei et possunt esse eque intensi; ergo motus sursum et deorsum possunt esse ab eisdem per se causis eque dispositis in causando. Maior non

270 Ms. *iter.* sensum

271 Ms.: *exepimuntur*

272 Averr., *In II De anima*, comm. 92, ARISTOTELES 1560, VII, 69v.

habet instantiam, ut patet per singula discurrendo; sed minor quoad primam partem eius, scilicet quod taliter contraria sint eiusdem specialissime speciei, patet per adversarium, ut dictum est, et quod possint eque intendi. Quantum ad secundam partem minoris probo, iuxta quod suppono quod motus eque intensus esse <provenit>²⁷³ ex equa virtute motoris et equa dispositione mobilium et mediorum et ex equa distantia terminorum motus. Ista videtur nota de se. Tunc secundo suppono quod aliquod grave sicut lapis a suis principiis per se movendi moveatur deorsum de puncto a ad centrum g in tempore d c; et quod idem grave, scilicet idem lapis, moveatur <in>²⁷⁴ tali tempore ab aliquibus motoribus a centro b deorsum ad a punctum sursum. Iste casus est possibilis, quia si forte cavillando dicat<ur> mobile grave magis inclinatum esse deorsum quam sursum, tunc multiplicata virtute motoris sursum respectu virtutis in motore deorsum quousque in isto tempore moveantur per omnem speciem mediam sursum quam fuit spatium deorsum, et sic habebitur propositum; sequitur ergo quod tales duo motus, scilicet motus sursum et motus deorsum, possunt esse ab eisdem per se causis. Sed conclusio est falsa, ergo aliqua premissarum; non maior mea; ergo minor tua, que dicit quod talia contraria sint eiusdem specialissime speciei. Falsitas consequentis patet, quia ridiculum est dicere quod motus gravis sursum posset fieri ab eisdem per se principiis a quibus fit eius motus deorsum, quia etiam terminus per se²⁷⁵ ad quem motus sursum potest esse per se terminus ad quem motus deorsum, et sic de aliis.

Tertia ratio principalis sit ista: si contraria sunt eiusdem specialissime speciei, vel hoc convenit eis naturaliter vel formaliter vel utroque modo. Si primo modo, non est ad propositum, immo est notabiliter abuti, cum differentia specifica vel unitas specifica semper a forma sumatur, sicut omnes sapientes tradiderunt. Unde, cum materia prima sit subiectum propinquissimum omnium dispositionum et formarum primarum in 4 elementis, sequeretur quod forme 4 elementorum immediate recepte in materia eiusdem rationis non diversificata specie dicerentur eiusdem specialissime speciei, quod est falsum et abusive dictum. Si secundo modo: aut ergo possunt esse eque intense et eque perfecte formaliter, aut necessario una est intensior ab alio; non potest dici primum,

273 Ms.: pervenit

274 Ms.: a

275 Ms. *add. ed del.* motus

quia tunc calidum in summo esset idem quod frigidum in summo, et sic calor sub eisdem gradibus <sub> quibus est in igne potest esse in terra; similiter humiditas sub eisdem gradibus <sub> quibus est in aqua posset esse in terra, ex quo humiditas et siccitas sunt idem sub gradibus eque intensis; unde terra naturaliter est frigida et sicca. Si tunc dicatur quod una formarum contrariarum necessario est intensior alia, et suppono quod media inter²⁷⁶ contraria magis conveniant cum alio extremorum quam extrema inter se. Ista patet de se ex natura medii et concedunt etiam omnes perypatetici. Ulterius suppono quod tale medium non posset esse formaliter infra latitudinem graduum unius extremorum; unde ratio est quia²⁷⁷ aliter diceretur alterum extremorum et non medium; verbi gratia sit tota latitudo albedinis et nigredinis insimul sumpta a b, et punctus separationis nigredinis ab albedine sit c; tunc signetur inter c et a // c. 90vb // apprehendendum latitudinem albedinis punctus qui signat esse participatum medii coloris ab extremo a c; postea signetur infra punctum c versus b alius punctus et sit e, ita quod c et b dicant latitudinem albedinis; vel ergo <medium>²⁷⁸ tale semper participat c d, et sic est albedo tantum; vel etiam participat c, et habetur propositum, scilicet quod medium non potest esse infra latitudinem unius extremorum tantum, sed participat aliquod de latitudine formali utriusque. Et hoc precipue et inevitabiliter si contraria ponantur eiusdem specialissime speciei et differre secundum esse intensum et esse remissum tantum. Istis suppositis arguo sic: si contraria extrema et media essent eiusdem speciei et non differrent nisi secundum esse intensum et esse remissum, sequitur quod numquam fieret transitus de extremo ad extremum nisi prius omnia media pertransirentur. Sed hoc est falsum, quia capilli nigri fiunt albi preter hoc quod prius fiant rubei aut virides vel alterius alicuius coloris intermedii. Consequentia patet; nam <si> omnes iste forme, scilicet contrarie et medie, differrent, <differrent> gradus eiusdem speciei integrantes latitudinem totam; et ergo, sicut impossibile est transire ab a ad b nisi per e et c media, nam sicut c <se> habet ad d, sic se habet d ad c et c ad e; et sic consequenter. Sic ergo patet quod contraria non sunt eiusdem specialissime speciei materialiter nec etiam formaliter, ut potest dici quod ut utroque modo, ut de se patet, quia tunc numquam unum inveniretur extra aliud, cuius oppositum patet ad sensum.

276 Ms. *add. ed del.* extrema

277 Ms. *add. ed del.* formaliter

278 Ms.: melius

Quarta ratio principalis sit ista, ad quam formandam suppono quod contrarietas est quedam repugnantia et quedam oppositio; et ista conceditur satis. Secundo, suppono quod talis repugnantia situarum? entium positorum etc.; ista patet, nam in hac differunt contraria et relative opposita a contradictoriis et privative oppositis. Tertio, suppono quod talis repugnantia convenit positivis contrariis per se vel per accidens; ista patet de se, quia per se et per accidens satis dividunt ens. Quarto, suppono quod si conveniret eis per accidens, tunc illa contraria et accidentia extrinseca quibus ipsorum essent per se et formaliter repugnantia contrarie. Ratio est quia des quod illa iterum per extrinseca et accidentia eis contrarientur, tunc procedatur in infinitum et tu stabis pro aliquo que per se et formaliter repugnant oppositione contrarietatis. Quinto, suppono quod questio nostra querat de contrariis per se et non de contrariis per accidens; ista patet, quia quilibet aliquo modo exercitatus bene concedit quod contraria per accidens possunt esse eiusdem speciei, ut duo homines qui contrariantur ratione dispositionum contrariarum accidentium ipsis. Istis suppositis arguo sic: quecumque per se qualitative formaliter et positive repugnant, differunt specie; sed per se contraria sunt huiusmodi; quare etc. Apparet quomodo duo individua eiusdem speciei qualitative sumpta omnibus accidentibus circumscriptis et extrinsece qualitative et formaliter non repugnant et positive possunt dici disparata. Minor patet ex suppositionibus premissis prius. Et confirmatur ista ratio, quia quecumque plus differunt omnibus extrinsecis circumscriptis quam solo numero differentia circumscriptis ab eis extrinsecis, illa differunt specie; sed contraria per se sunt huiusmodi, quare etc. Maior patet de se, sed minor probatur, quia si <proprie>²⁷⁹ contraria non plus differunt se ipsis quam solo numero, non dicerentur maxime proprie contraria, quod est absurdum.

Quinta ratio principalis sit ista: si contraria essent eiusdem specialissime speciei, sequitur quod frigida virtualiter in egritudinibus acutis essent nociva et non proficua; quod est falsum, quia medici dant tales medicinas tamquam mitigantes calorem linium?; unde canon authenticus apud medicos est quod contraria contrariis sanantur; sed contrariatur quia, cum contraria sint eiusdem specialissime speciei, ergo unum additum alteri potius ipsum intendit et ? facit quam quod ipsum mitiget et retardet.

279 Ms.: pure

Sexta ratio sit de contrariis habitibus anime que per similitudinem accipiuntur contraria magis propria et maxime propria. Et arguitur sic: quecumque sunt eiusdem specialissime speciei habent easdem proprias passiones; sed contraria in moralibus, sicut est virtus et vitium, non habent easdem per se proprias passiones; ergo non sunt eiusdem speciei. Maior probatur, quia communiter conceditur propriam passionem consequi naturam specie, et hanc concedunt etiam Porfirium audientes. Minor probatur, quia proprium virtutum est posse homini felicitare; unde Aristoteles primo *Ethicorum*²⁸⁰ dicit «bonum humanum et felicitas hominis operatio est secundum virtutem»; si autem plures virtutes secundum perfectissimam et optimam est scilicet felicitas, sed illud non potest convenire virtuti per aliquod extrinsecum et accidens; ergo quia tunc una non plus facit ad ? quam bona²⁸¹ exteriora sicut bona fortune. Unde etiam homini bonum facere cadit in descriptione virtutis, que est <illud>²⁸² quod virtus habentem perficit et opus eius laudabile reddit; certum est quod hoc non convenit vitio, quia vitium est quod habentem deserit et opus eius turpe reddit. Nec valet si forte dicitur quod in quolibet contrario sunt duo, scilicet materiale et formale, et quod ratione formalis ad aliquod convenit uni quod non alteri, quia si illa formalia non sunt eiusdem rationis, tunc contraria in quantum contraria et secundum formalia contrarietatum non sunt eiusdem specialissime speciei. Et sic habebimus <intentum>²⁸³. Et hoc sit finis huius quarti.

Capitulum quintum

Consequenter in hoc quinto capitulo restat solvere rationes in oppositum questionis adducte.

Ad primam, quando dicitur “quandocumque aliqua duo equaliter”; sed minorem nego quoad ambas partes eius. Et ad probationem prime partis ipsius concedo ambo fundamenta iuxta intentionem Aristotelis sexto et octavo *Physicorum*²⁸⁴. Concedo etiam casum possibilem, scilicet quod aliqua transmutetur a summo calido in frigidum; ulterius concedo quod casus in proposito, scilicet

280 Arist., *Eth.*, I, 6, 1098a15-20; A.A. 233, n. 11.

281 Ms.: bonum

282 Ms.: quod

283 Ms.: intentionem

284 Arist., *Phys.*, VI, 5, 236a31 segg. Cf. Averr., *In VI Phys.*, Comm. 45, ARISTOTELES 1560, 221r.

quod post instans a in quo alterabile primo est frigidum, statim sit approximatum ad agens etc.; quamvis autem concedere illum casum sit magne dubitationis et difficultatis non pauce, tamen, quia penitus nihil impedit veritatem in hac speculatione, ipsum in proposito concedo. Concedatur ergo totus processus quousque ad formam rationis sillogisantis, cum dicit 'quantum illud corpus sub recessu a summo calido ad frigidum amisit de calido in tempore b, et tantum per accessum ad summum calidum acquisivit in tempore a c' etc. Secundo, igitur bene sequitur quod caliditas tanta nunc acquisita quantitate formali in perfectionali, quanta fuit deperdita, referendo utrumque ad tempus presens in quo utraque fuit ens eque formaliter, sic propinquus summo calori sicut caliditas deperdita fuit. Et cum videmus simpliciter quod alterabile tunc est sub forma frigiditatis, dico quod verum est in terminis a quo // c. 91ra // alterationis secunde, que est acquisita caloris. Sed tamen est dare primum instans in illo tempore in quo alterabile primo habuit esse sub frigiditate tamquam sub termino ad quem alterationis secundum fundamentum primum istius rationis, et illud etiam instans fuit terminus instans in quo caliditas habuit non esse per fundamentum secundum eiusdem rationis prime, sicut etiam primum instans in quo caliditas habuit esse fuit primum instans in quo frigiditas habuit non esse. Sic ergo ratio non plus infert nisi quod terminus a quo prime alterationis et terminus ad quem secunde alterationis sint eiusdem specialissime speciei. Et hoc concedo libenter et necessario, quoniam utrumque istorum est calor secundum fundamenta rationis huius. Si vere servans terminum a quo prime alterationis et terminus a quo secunde, tunc virtus rationis stat in hoc: quia est dare duo agentia diversarum rationum in agendo et essendo, que sunt equalis virtutis in agendo suos effectus in equali tempore; igitur termini a quibus transmutationum earum sunt eiusdem perfectionis formalis et eiusdem specialissime speciei. Et illa consequentia est ridiculosa valde. Similiter si sumas terminum ad quem prime alterationis, que est frigiditas, et terminum ad quem secunde, que est caliditas, et ratio stabit in hoc quod, quia duo agentia equalis virtutis in agendo et etiam equali tempore sunt agentia duos effectus, licet sint agentia diversarum specierum et diversarum rationum in agendo.

Item, forme producte ab eis sunt eiusdem specialissime speciei; et hec consequentia similiter est ridiculosa: si in equali tempore potest generari asinus ab

asino et homo ab homine et tamen per dictum argumentum homo et asinus non sunt eiusdem specialissime speciei.

Etiam dicendum est ad probationem secunde partis minoris, que est quod aliqua frigiditas est propinqua summo calori propinquitate formali quam aliqua caliditas data; nego illam. Et cum tu dicis: signetur instans in medio partis inter b vel a; signo totum et sit illud instans d; cum ulterius dicis quod in dicto instanti qualitas illius mobilis fuit caliditas, concedo; et etiam concedo quod in c sua qualitas fuit frigiditas. Sed cum dicis quod in dicto instanti sua qualitas magis distabat formaliter a summo calore quam qualitas quam habuit in c, nego; ymmo est e contrario. Et ad probationem cum dicis quod magis accessit qualitas mobilis versus summum calorem formaliter in tempore c et a quam in tempore d; concedo rationem termini ad quem secunde alterationis comparati ad terminum prime alterationis; nam terminus ad quem secunde est calor, sed terminus ad quem prime est frigus vel saltem remissius caloris quam in secunda. Et bene concedo etiam quod calor magis formaliter accedit ad summum calorem quam frigus, calor intensior quam remissior. Et dico notanter quod calor intensior vel remissior, quia secundum multos nullus gradus frigiditatis inducitur nisi in primo instanti in quo nullus gradus caloris est. Modo secundum fundamenta illius rationis hoc est instans a; ergo supposito aliquo instanti inter a et b per alterationem istius temporis est calor precedens tantum remissus; sed in primo instanti quo frigiditas secundi temporis, quod est c, et a non est, tunc caliditas intensa secundum radices huius rationis. Sed tu infers conclusionem tuam determinans a quo utriusque alterationis et radices fundamentorum tuorum super quas fundas media illationis tue sunt de termino a quo unius et de termino ad quem alterius termini, igitur ratio non concludit.

Ad secundam rationem principalem, cum dicitur si albedo, nigredo etc.; nego consequentiam et consequens eius, loquendo de mediis compositionis extremi. Unde Averroes secundo *De anima*²⁸⁵ commento 10<5>²⁸⁶ dicit «non est necesse ut translatio ex extremis sit super omnia media et universaliter per se», et loquitur ibi de albedine et nigredine et mediis coloribus, ut patet recitanti commentum. Sed concedo consequentiam et consequens eius de mediis gradualibus, sicut

285 Averr., *In II De anima*, comm. 105, ARISTOTELES 1560, VII, 74r-v.

286 Ms.: 104

sunt gradus eiusdem extremi; verbi gratia mobile localiter aliquo stante non pervenit ad unam partium extremarum eiusdem qualitatis ad aliam extremam partem spacia nisi prius pertranseat omnia spacia intermedia²⁸⁷, et dico de partibus eiusdem qualitatis, quia inter partes eiusdem proportionis non est dare ultimans, et sic<ut> est de gradibus spatii sic etiam est de gradibus intensionum et remissionum in formis sicut de gradibus quantitatis in augmentatione. Tunc ad probandum consequens, cum dicitur 'medium est etc.'; respondeo quod ista descriptio sic est intendenda de mediis compositionis, quia medium est in quo transmutans prius transmutat quam extremum secundum exigentiam extremorum in illo transmutabili, et sic est universaliter vera. Modo certum est quod non omnia transmutabilia nata sunt recipere eadem media in quolibet tempore transmutationis ab extremo ad extremum; et hec est sententia Averrois secundo *De anima* commento preallegato, ubi dicit quod «plante habentes sapes non transeunt ex amaritudine ad dulcedinem que innate sunt eis, sicut esse dulce in fine nisi mediante aliquo illorum saporum, scilicet intermediorum. Et hoc erit secundum quod pertinet illi amaro existenti in illa planta et alteri dulci existenti in ea». Et ad probationem que fuit contra hoc, cum dicit 'diffinitio medii debet competere omni speciei medie'; concedo, et sic est in proposito, quoniam hic medium describimus non secundum suam entitatem qua est medium absolute, immo ut sic est quod sapit naturam utriusque extremorum. Sed hic describit medium secundum quod substat etiam scientie mobilis et extremorum in transmutatione, ut sic convenit omni medio et secundum quod ipsum. Ad confirmationem, cum dicitur 'species coloris habebunt se secundum ordinem'; etiam concedo: nam sub cuiuslibet generis inter se essentialem ordinem habent. Et cum ulterius dicitur quod mobile si debeat transire de albedine in nigredinem per aliquam speciem mediam, vel ista erit immediata <vel mediata>; et respondeo quod quandoque mediata, quandoque immediata secundum exigentiam alterabilis et determinationem alterantis. Unde, sicut dictum est prius, pertransire medium quam extremum porrigi non convenit <medio>²⁸⁸ compositionis; sed quod medium secundum quod receptibile in tali mobili secundum certam determinationem in ?. Ratio autem quare capilli non sunt nati recipere viriditatem vel blavum colorem satis a naturalibus patet, quia color viridis mixtorum

287 Ms.: omnes spacias intermedias

288 Ms.: medii

causatur ex terrestri humiditatis humido per medium circa nigredinem terrestritatis, sicut patet in herbis et plantis aliis et de superficie cupri que velociter rubiginem accipit; tamen videtur coloris blavus autem color in alia proportione respicit terrestria et humida que terrestres partes magis denigrant aliis in humido quam in viridi secundum tamen ultimam proportionem ad viride, ut patet in aliquibus fructibus arborum vineti, qui prius sunt virides et cum a sole humidum etiam augens consumatur aliquantulum, // c. 91rb // tunc requirunt in extremis quod blavium colorem et tantum nigrum. Sed capilli, cum fiant a fumo terrestri in humido paucis et non conglutinatis partium terrestrium motu? conglutinatum non sunt nati ad recipiendum decem colores summo modo. De aliis dicatur si coloratius igitur calor agens in materiam humidam maris que terrestres partes multum habet inducit virtutem in mari. Unde dicit Nycolaus Peripateticus in tractatu suo de rebus physicis²⁸⁹ quod calor agens in materiam humidam et contactam? terrestrius semper inducit calorem. Sic autem est in omnibus qualitatibus, quoniam in eis habundat multum humidum.

Ad aliam affirmationem “colores medii componuntur ex extremis secundum varias proportiones” etc.; respondeo quod verum est secundum varias proportiones partium utriusque extremorum ad invicem in eodem²⁹⁰ subiecto simul se componentium per modum refractionis et mixtionis extremorum. Et cum dicitur quod in transmutatione ad extremum oportet transire omnes istas proportiones; nego, sed bene contingit primo pertransire omnes partes graduales alterius extremorum, scilicet deprehendendi per modum responsionis, et in primo instanti quo illud non est, alterum istorum est; et in tempore continuo potest illud idem continue pertransiri intendendo ipsum; ergo non proponit nec virtualiter nec formaliter. Vel dicendum quod si ponatur in tali transmutatione semper unus gradus forme agentis induci ad deperditionem unius gradus in forma deperdenda, tunc necessarium est quod talia extrema secundum totam latitudinem graduum suorum uniantur successive et divisibiliter in eodem subiecto, sed non commiscuntur secundum proportiones quibus causantur intermedia, quomodo in mixtione extremorum in mediis resultat forma mixti specificis differentis utriusque miscibilibus simul virtualiter manere sive formaliter in mixto, quod non contingit in omni transmutatione extremorum ad invicem.

289 NICOLAUS PERIPATETICUS 1973, 138.

290 *Ms. iter.* in eodem

Vel si non ponatur mixtum aliquam formam absolutam addere extremis coniunctis, maxime si formaliter maneant in mediis, adhuc non causantur omnia media in omni transmutatione extremorum ad invicem. Et hoc necessarium est in utroque dictarum disiunctarum super determinationem agentis non intendentis mixtionem contrariarum, sed ad presentiam istius unius remotionem alterius, secundum autem exigentiam finis omnia ordinata in finem ordinantur, ut dicit Linconiensis primo *Posteriorum*²⁹¹. Sic ergo, licet omnes partes proportionate ponantur utriusque extremorum, tamen proportionales²⁹² mixtorum non ponuntur ex repugnantia dispositionum unius alterabilis et etiam ex determinatione finis apud agens, sed per illud medium poterit iri quod est de uno modo transeuntis; ergo pone differentiam inter miscibilia proposita mixtionis coniuncta et inter eadem mixta; nam in immediata posse esse et coniuncta in transmutatione finis, ut cum forma mixti careantur propter detentionem et directionem agentis non intendentis mixtionem secundum quod dictum est. Sic ergo solvitur ratio secundum 6.

Item, si ratio valet, per eam probaretur quod numquam perveni a miscibilibus que sunt quatuor elementa ad infimum mixtum nisi prius pertransirentur omnia mixta, scilicet supremum et medium, quod est falsum.

Item, si ratio valeret, sequitur quod nullus posset pertransire de specie perfectissima alicuius ordinis ad speciem imperfectissimam nisi prius pertransiret per omnes species intermedias; quod est falsum, quomodo inter substantias materiales aliqui possunt agere in perfectissimam, sicut est terra vel alia substantia perfectissima sicut est homo, preter hoc quod cognoscit omnes species medias.

Item, ista ratio impedit se ipsam per affirmationem ultimam, quoniam si colores sunt omnes eiusdem specialissime speciei, tunc adhuc necessarium est concedere quod modi mediorum resultent ex modis extremorum secundum varias proportionales. Si auctoritates philosophorum debeant exponi, ergo cum in transmutatione ab extremo ad extremum oporteat transire omnes istas proportionales, sequitur quod transiens a nigredine ad albedinem necessario transeat per omnes colores medios, quod est falsum.

291 Grossatesta, *In Post. Anal.*, I, 4, 155-160; GROSSETESTE 1981, 116.

292 *Ms. add. et del.* extremorum

Et quidquid de extremis habet ? istarum proportionum dicam alias nec plus nec minus. Item, probo minorem non pervenit ad me, scilicet quod transirentur omnes colores; et posset negari, quia, licet omnis gradus utriusque extremorum transeatur, cum negari possent proportiones debitarum combinationum, sufficientia enim ad idem mediorum.

Ad tertiam rationem principalem, 'impossibile est quod contraria <sint> eiusdem specialissime speciei'; primo concedo maiorem; sed nego minorem. Et ad probationem probo quod duplex est actio unius in aliud: una est abiectiva, et alia est intensiva sive perfectiva. Tunc dico quod calidum maius agit in minus calidum actione abiectiva in quantum calidum, sed magis actione perfectiva intendendo ipsum et perficiendo. Et quia aer requirit calidum sub gradu certo et determinato, igitur, cum dicitur ultra debitum dissolvitur natura animalis, tamen dubium est utrum purum elementum possit agere non in purum permixtum corpore alieno non incipere virtute propria, et maxime in habentibus symbolum quorum unum est motus locus alterius naturalis. Et cum dico quod actio est ratione contrarietatis, dico quod verum est actio abiectiva, sed non intensiva. Unde falsum supponit ratio, scilicet quod talis actio sit ratione contrarietatis et quod magis calidum et minus calidum <sint>²⁹³ contraria, quod etiam est falsum loquendo de contrarietate proprie. Et cum dicitur ulterius quod aliquod calidum non agit in aliquod frigidum; dicendum sed huius causa vera est quod frigidum et calidum sint magis contraria quam magis calidum et minus calidum; ymmo debilitas caloris qui in agendo non repatitur, ut patet tertio *Physicorum*²⁹⁴, et hoc sic totiens quousque pervenitur ad ultimam particulam maioris frigidi, que penitus uniat unum et agit in calidum abiciendo ipsum et reducendo aliquod ad frigidum.

Ad quartam rationem, cum dicitur "virtus et aliquod vicium contrariantur" etc.; concedo, sed nego quod sint eiusdem specialissime speciei. Et ad probationem dico quod non sufficit in talibus actus esse eiusdem speciei, sed oportet etiam finem non differre specie; sed hoc non est hic; ideo aspectus superans actus illos inclinatur ad fines diversarum rationum quorum unus est bonum semper // c. 91va // et alius est bonum secundum quid et apparens tantum; quare etc.

293 Ms.: sicut

294 Arist., *Phys.*, III, 1, 201a19-24.

Ad quintam, cum dicitur quod sanitas et egritudo contrariantur pro rebus absolutis secundum medicos; respondeo quod illa sic est intelligenda quod qualitates active et passive humorum corpori qui sunt sanguis, fleuma, et colia et melancolia sunt contrarie qualitates ad invicem, sed contrarie et opposito modo se habent oppositione relativa, non oppositione correlativa; sed oppositione relativa desparata? in egritudine et in sanitate; igitur sanitas et egritudo, si sumantur pro humoribus affectis qualitatibus contrariis, sunt contraria ratione talium qualitatatum; si vero sumantur per respectivum proportionale diversarum in humoribus sunt desparata non correlative opposita, quomodo proportionabile quod est sanum non dicitur correlative ad proportionabile quod <est> egrum, sicut correlative dicuntur dominus et servus vel consimilia. Si autem sumatur egritudo pro privatione sanitatis, tunc privative opponuntur; unde patet quod in quantum sanitas et egritudo dicuntur res eiusdem specialissime speciei non contrariantur.

Ad aliam rationem qua ultimo appositum, cum dicitur “esse contraria sentiuntur ab una potentia sensitiva” etc.; concedo antecedens et nego consequentiam et consequens eius etc. Ad probationem, cum dicis quod propter equivocationem in qualitatibus tangibilibus Aristoteles negat bonitatem in tactu; respondeo quia secundum multos Aristoteles ibi loquitur tantum disputative contra illos qui posuerunt probare esse organum sentiendi in sensu tactus; et secundum Averroem vult arguere sic: si caro esset organum istud, sequitur quod tactus esset unius sensus. Consequens falsum, quia ipse est duarum contrarietatum permistarum non habentium unum genus immutandi tactum sicut habent contraria aliorum sensuum; consequentiam probat Averroes²⁹⁵ dicens: si fuerit determinatum quod sensus tactus est in carne ita quod proportio oculi ad visus, manifestum est quod sensus tactus est una virtus, quoniam unum instrumentum est nisi unius virtutis; si autem fuerit determinatum quod ista virtus sumitur plures una, necesse est ut caro sit per medium et ut omnino sit instrumentum. Et sic ista ratio probat carnem non esse organum tactus tantum probabiliter quales rationes sufficiunt ad proponendas dubitationes. Predicta vero magis demonstrative declaravit Aristoteles²⁹⁶, quod caro sit medium in sensu tactus ex eo quod medium tactus necessario est coniunctum in animali

295 Averr., *In II De anima*, comm. 116, ARISTOTELES 1560, VII, 78v.

296 Arist., *De anima*, II, 11, 423b1 segg.

et necessario est pars animalis, et simplex elementum non potest esse pars animalis, et non est aliqua pars animalis que convenienter sit ut medium quam caro, igitur concludit quod caro sit medium tangendi; et huius signum est quia tangibile positum supra carnem immutat tactum, sed convenire debet omnibus sensibus quod sensibile positum supra sensum non facit sensationem nec facit unum de eo utrum sensus tactus necessario sit plures vel non, et sufficit modo quod ratio Aristotelis demonstret. Potest enim conclusio esse necessaria medio non est necessari<O>²⁹⁷.

Tunc ad rationes in pede questionis positas.

Ad primam, cum dicitur non plus differunt terminum alterationis quam augmentationis; concedo maiorem quantum ad formalia terminorum in illis duobus mobilibus. Tunc ad hoc cum dicitur 'terminum augmentationis unde eiusdem specialissime speciei'; respondeo quod duo sunt in terminis augmentationis, scilicet quod et quo; quod est quantitas maior et est quantitas minor; sed quo sunt qualitates contrarie annexae <quantitatibus>²⁹⁸ illis. Modo bene concedo quod ad quantitatem non est successio in quantum quantitas absolute, et hoc vult Aristoteles quarto *Physicorum*²⁹⁹ tractatu de vacuo, quia si poneretur quantitas non qualis inter celum et terram, grave in instanti moveretur deorsum a concavo lune ad convexum terre. Sed hec sententia Aristotelis esset nulla si sola extensio argueret successionem in magnitudine; quapropter quod motus est per se ad quantitatem in augmentatione in quantum mutatio, sed non in quantum motus; et hoc maxime necessarium est illis dicere qui ponunt omnes quantitates miscibilium in instanti generationis mixti perdi et novam quantitatem cum forma mixti in eodem instanti introduci cum forma mixti, supposito quod quantitas formam substantialem necessario consequatur, sicut credo me demonstrasse in tractatu meo *De rarefactione et condensatione*, ubi multum clare et diffuse locutus sum de motu ad quantitatem. Sic ergo concedo augmentationem esse unum motum quantum ad illud quod termini eius sint contrarii et esse differentes. Sed concedo augmentationem tantum esse mutationem in quantum naturaliter pertendit a contrariis illis et in quantum termini eius non sunt contrarii et eiusdem specialissime speciei. Et tu considerabis de hoc, quia

297 Ms.: necessaria

298 Ms.: qualitatibus

299 Arist., *Phys*, IV, 8, 215a30 segg.

hoc adversarius non facit aliud in isto problemate nisi amoveri nos de variis questionibus, et magnus, immo summus babor ad propositum principale mihi nullus videtur.

Ad primam rationem, cum dicitur “antecedens non differt se” etc.; nego antecedens; et ad probationem, cum³⁰⁰ dicitur colores componuntur ex luce et opaco, quod lux est principium formale in omnibus coloribus; respondeo quod lux preparata ad opacum est formale in omnibus coloribus, quia principalius compositionis et accidentalius opaco in omni colore; sed lux non est formale principium in omni colore comparata ad formale totius, ymmo ex hiis duobus, scilicet ex luce et opaco varie concurrentibus resultant varie colorum forme specie differentes, ita quod utrumque componentium est materiale respectu forme totius, licet unum materialium sit accidentalius reliquo, ut dictum est. Hoc vult Nycolaus Parypateticus³⁰¹ capitulo de coloribus dicens: «dico autem lucem est ipostasis colorum, et si relinqueretur convenientia ad unumquodque corpus non quiesceret quousque color istius corporis appareret pure lux»; et aliquibus interpositis dicit «oportet quod lux veniens ad unumquodque coloratum accipiens differentias a rebus ad quas reflectitur transeat in essentiam suorum colorum». Sicut ergo dixi audivistis tenete et videte.

Explicit tractatus magistri Chonradi de Monte Puellarum rectoris universitatis parisiensis qui probat oppositum contra Wurley in illa conclusione quod forme contrarie sint eiusdem speciei specialissime.

300 *Ms. iter. cum*

301 NICOLAUS PERIPATETICUS 1973, 136-137.

3. Jacopo da Forlì, *De intensione et remissione (Ia pars)*³⁰²

// c. 16ra // **Queritur utrum intensio forme fiat per additionem partis formalis ad partem formalem utraque remanente.**

Et arguitur quod non. Non enim est possibile plura accidentia solo numero differentia esse in eodem subiecto primo³⁰³; igitur questio falsa. Tenet consequentia, quia ex questione sequitur oppositum antecedentis; si enim intensio fit etc., tunc plures partes formales eiusdem forme manent in eodem; sed omnes plures partes eiusdem forme sunt a se invicem solum numeraliter distincte; igitur etc. Antecedens est Philosophi quinto *Metaphysice*³⁰⁴ dicentis specie differunt quecumque in eodem subiecto existentia differentiam habent.

Ad oppositum arguitur. Cuiuslibet forme intensio fit per inductionem gradus post gradum, ut omnes concedunt; sed in adventu posteriori gradus non corrumpitur prior; igitur etc. Consequentia patet; et secunda pars antecedentis probatur, quia talis gradus in casu non contrariatur agenti ipsum nec patienti neque gradui qui post inducitur nec est forma ab agente ipsam producente dependens in fieri aut conservari; igitur a nullo nec ab aliquibus istorum corrumpitur.

De hac questione fuerunt tres opiniones famose.

Prima opinio fuit Burlei ponentis quod in omni alteratione gradus qui primo acquiritur in adventu alterius totaliter corrumpitur et alius de novo producit totaliter alius a primo, ita quod in quolibet instanti temporis mensurantis alterationem est totaliter alia qualitas a qualitate que prius fuit, et in nullis duobus instantibus est eadem qualitas numero³⁰⁵.

302 Trascrizione dall'edizione: «Venetiis mandato et expensis nobilis viri domini Octaviani Scoti civis Modoetiensis, per Bonetum Locatellum Bergomensem 1496» (BURLAEUS 1496), cui si riferiscono le indicazioni di capitolo e di carta.

303 Cf. Arist., *Top.*, I, 7, 103a29-31, 38-39; A.A. 322, n. 8.

304 Arist., *Metaph.*, V, 9, 1018a4 segg.

305 Cf. BURLAEUS 1496, IV, 10va.

Secunda opinio ponit quod quanto qualitas est magis admixta suo contrario, tanto est remissior, et quanto minus, tanto est intensior, ita quod cuiuslibet forme intensio attenditur penes maiorem aut minorem admixtionem cum suo contrario³⁰⁶.

Tertia opinio ponit quod sicut quantitas augetur per additionem partis quantitative ad partem quantitativam utraque remanente, ita [quod] qualitas augetur vel intenditur per additionem partis gradualis ad partem gradualem in eodem subiecto primo utraque remanente; et sicut una quantitas est maior, quia habet plures partes quantitativas non communicantes alicui certe date equales, ita una qualitas dicitur alia data intensior quia habet plures partes graduales in eodem subiecto primo non communicantes alicui certe date qualitati.

Primo igitur pertractabo primam opinionem, secundo secundam, tertio tertiam.

Prima pars in qua perscrutatur opinio Burlei quod in intensione et remissione formarum prior forma corrumpitur et de novo totaliter alia generatur.

Quantum ad primum, prima opinio ponit pro se aliquas conclusiones. Prima: quod in omni motu ad formam aliquid de novo producitur seu acquiritur³⁰⁷. Hec conclusio probatur; et primo sic: quocumque motu ad formam dato, vel in fine eius est aliquid quod non prius fuit vel non; si primum, sequitur conclusio; si secundum, sequitur quod mobile precise habet eandem formam quam habuit in principio motus; quod est inconveniens. Primo, quia mobile non fuisset motum, quod est contra casum; et consequentia patet, quia habitibus presentibus in materia cessat motus³⁰⁸. Secundo, quia frustra fuisset motum ad talem formam ex quo prius fuisset illa forma in mobili³⁰⁹. Secundo: quodlibet

306 Cf. Gregorius Ariminensis, *In libros Sententiarum*, I, d. 17, *quaestiones 2-4*, GREGORIUS ARIMINENSIS 1982, 250-417; LOEWE 2014.

307 Cf. BURLAEUS 1496, IV, 10va: «Positis et reprobatis opinionibus famosis huius temporis restat nunc dicere quod occurrit. Et pono tres conclusiones. Prima est quod in omni motu ad formam acquiritur aliquid novum, quod est forma vel pars forme».

308 Cf. Arist., *De gen.*, I, 7, 324b16-17; A.A., 168, n. 16.

309 Cf. BURLAEUS 1496, IV, 10va: «Primo sic: quero aut in fine motus fit aliquid novum acquisitum mobili vel nihil; si detur quod aliquid, habetur propositum; si detur quod nihil novum est acquisitum; ergo mobile in principio motus et durante motu habuit totum quod habet in fine motus; cum ergo mobile movebatur ad aliquem terminum, sequitur quod movebatur ad terminum quem tunc habebat; sed hoc est inconveniens propter

quod movetur continue aliter et aliter se habet secundum prius et posterius; igitur quodlibet quod movetur secundum aliquam formam continue aliter et aliter se habet secundum istam formam; sed si maneret precise eadem forma a principio motus usque in fine, mobile non se habe~~re~~t aliter et aliter secundum illam, igitur non moveretur³¹⁰. Forte dicitur quod, licet maneat eadem forma, non tamen idem mo // c. 16vb // dus sed habendi illius forme a principio motus usque in finem, ita quod forma uno modo se habens in principio motus dicitur remissa et alio modo se habens in fine dicitur intensa. Et ad formam argumenti dicitur quod mobile continue aliter et aliter se habet secundum alium et alium modum se habendi illius forme. Contra: in tali motu continue solum acquiritur alter et alter modus se habendi illius forme; igitur motus est ad talem modum se habendi tamquam ad per se terminum et non ad formam; quod est absurdum. Item, vel talis modus se habendi est qualitas aut non; si sic, cum continue erit alter et alter modus, igitur continue erit alia et alia qualitas; si non, igitur vel illud erit substantia vel qualitas vel ubi; et sic mutatio ad ipsum erit generatio vel corruptio vel augmentatio vel motus localis; quod est falsum. Similiter gradus forme est illud per quod forma est intensa; sed nulla forma est intensa per aliquid distinctum ab ipsa; igitur etc. Maior patet, et minor probatur, quia intensio forme idem est quod forma intensa; nam si forma esset intensa per intensionem aliam ab ipsa forma, tunc illa intensio, cum sit intensa, esset intensa vel seipsa vel per intensionem distinctam ab ea; si primum, pari ratione prima forma intensa est intensa seipsa; si dicitur secundum, arguam similiter et de tertia et quarta intensione in infinitum procedendo in intensionibus sibi invicem subordinatis, quod est inconveniens. Et idem argumentum potest fieri

duo: primo, quia habitibus presentibus in materia cessat motus, ut patet ex primo *De generatione*; ergo si mobile dum movetur haberet totum terminum motus, sequitur quod mobile dum movetur quiesceret; quod est inconveniens».

310 BURLAEUS 1496, IV, 10va: «Secundo, quia frustra movetur aliquid ad id quod habet; si ergo durante motu haberetur totus terminus motus, sequeretur quod omnis motus ad formam esset otiosus; quod est inconveniens. Confirmatur hec ratio sic: illud quod non se habet aliter quam prius respectu alicuius forme non movetur secundum illam formam, sed magis quiescit secundum illam formam; sed si nec forma nec pars forme acquiratur de novo in mobili, tunc mobile non se habet aliter quam prius secundum illam formam; ergo nec movetur secundum illam formam, sed magis quiescit secundum eam, et tamen ponitur moveri secundum formam; ergo simul movetur et quiescit secundum idem; quod est impossibile».

de gradu ipsius qualitatis intense vel remisse³¹¹. Et per simile argumentum potest probari quod quantitas non est distinctum accidens³¹² a re quanta. Sed forte diceret aliquis quod talis intensio non est intensa nec remissa; contra: tunc nulla forma esset alia intensior, quod nullus concedit; probatur consequentia, quia si nulla intensio est intensa vel remissa, tunc non maiori intensione est aliqua forma <magis> intensa quam ista vel illa etc.

Secunda conclusio principalis est quod per omnem motum ad formam forma preexistens totaliter corrumpitur et alia de novo producitur totaliter ab illa distincta³¹³. Secundam partem huius conclusionis probat doctor predictus tenens istam opinionem sic: in intensione forme subiectum fit vel denominatur intensius quam prius ceteris paribus; vel igitur a forma preexistente, aut ab alia que de novo inducitur aut ab ambabus simul. Non primum, quia forma preexistens non est intensior quam prius fuit; nec potest dici tertium, quia partes forme non manent simul in alteratione ad ipsam, ut dicit se probasse in prima parte sui tractatus; igitur relinquitur propositum³¹⁴. Primam partem conclusio-

311 BURLAEUS 1496, IV, 10va-b: «Item, vel talis modus se habendi est qualitas aut non; si sic, cum continue erit alter et alter modus, igitur continue erit alia et alia qualitas; si non, igitur vel illud erit substantia vel qualitas vel ubi; et sic mutatio ad ipsum erit generatio vel corruptio vel augmentatio vel motus localis, quod est falsum. Similiter gradus forme est illud per quod forma est intensa; sed nulla forma est intensa per aliquid distinctum ab ipsa; igitur etc. Maior patet, et minor probatur, quia intensio forme idem est quod forma intensa; nam si forma esset intensa per intensionem aliam ab ipsa forma, tunc illa intensio, cum sit intensa, esset intensa vel seipsa vel per intensionem distinctam ab ea; si primum, pari ratione prima forma intensa est intensa seipsa; si dicitur secundum, arguam similiter et de tertia et quarta intensione in infinitum procedendo in intensionibus sibi invicem subordinatis, quod est inconueniens. Et idem argumentum potest fieri de gradu ipsius qualitatis intense vel remisse».

312 *Ed.*: accidentis

313 BURLAEUS 1496, IV, 11ra: «Secunda conclusio principalis, scilicet quod per omnem motum ad formam acquiritur forma totaliter nova. Probatur per rationes et auctoritates».

314 BURLAEUS 1496, IV, 11ra: «Et primo probo eam ex precedentibus sic: subiectum forme augetur vel minuitur secundum formam, hoc est denominatur magis vel minus tale secundum formam, ut lignum dicitur magis vel minus calidum a calore intensiori vel remissiori; sed subiectum non augetur nec denominatur magis vel minus tale secundum formam que totaliter primo prefuit, quia secundum eandem formam omnino non est aliquando magis et aliquando minus tale, ut patet ex prima conclusione huius capituli; nec augetur subiectum nec dicitur magis vel minus tale quam prius secundum formam que partim prefuit et partim est nova, quia augmentum forme non fit per additionem partis ad partem nec diminuitur per ablationem partis a parte, ut patet ex primo capitulo huius tractatus; ergo sequitur quod subiectum augetur secundum formam omnino novam; ergo per omnem motum ad formam acquiritur forma omnino nova».

nis probat sic: non maiorem unitatem requirit motus alterationis quam motus localis; sed numquam in motu locali manet mobile sub eodem ubi; igitur in motu alterationis numquam manet alterabile sub eadem forma, et per consequens forma preexistens totaliter corrumpitur quando forma intenditur. Maior est nota ex simili; et minor probatur sic: sit ita quod aliquod mobile incipiat moveri localiter secundum se totum; tunc vel in aliquo instanti post hoc habebit idem ubi vel non; si non, stat propositum; si sic, vel igitur in toto vel in parte; si in toto, igitur totum continue quiescet; si in parte, igitur illa pars quiescet; et per consequens hoc non incipit moveri secundum se totum; quod est contra positum. Et illud argumentum videtur presupponere quod ubi sit unum accidens in mobili quod movetur³¹⁵.

315 BURLAEUS 1496, IV, 11ra: «Secundo, probo eandem conclusionem sic: non maiorem unitatem forme secundum quam est motus requirit motus alterationis quam motus localis unitatem ubi secundum quod est motus localis; sed in motu locali mobile in quolibet instanti temporis mensurantis motum habet aliud ubi et aliud totaliter novum, loquendo de ubi proprio, quod causatur a circumscriptione loci proprii; ergo in motu alterationis alterabile in quolibet instanti temporis mensurantis alterationem habet aliam et aliam qualitatem numero totaliter novam. Maior patet, quia motus localis inter omnes motus est maxime continuus, ut patet ex octavo *Physicorum*, et per consequens motus localis est maxime unus, et ideo non maior unitas illius secundum quod est motus requiritur ad unitatem alterationis quam ad unitatem motus localis; et sic patet maior. Minorem probo sic: ponamus aliquid moveri motu locali; quero: aut post hoc instans habet aliquid de ubi proprio quod habet in hoc instanti, aut nihil habebit post hoc instans de ubi proprio. Si numquam post hoc instans habebit de ubi proprio quod habet in hoc instanti, habetur propositum, scilicet quod ubi proprium totum simul perditur et totum simul acquiritur, et quod in quolibet instanti temporis mensurantis motum habet mobile aliud et aliud ubi. Si detur quod post hoc instans habebit mobile aliquid de ubi proprio quod habuit in hoc instanti, quero de illo: aut illud ubi quod remanebit post hoc instans habebit esse in eadem parte mobilis in qua est in hoc instanti vel in alia et alia; si in eadem parte, tunc illa pars post hoc instans habebit idem ubi quod habet in hoc instanti, et per consequens quiesceret secundum ubi, et tamen totum ponitur moveri secundum ubi; ergo totum movebitur quiescente parte; quod falsum est, quia loquor de primo moto. Si vero illud idem ubi post hoc instans habebit esse in alia parte, sequitur quod migravit de subiecto in subiectum, quod est impossibile; ergo totum ubi simul corrumpitur et simul acquiritur. Et eodem modo contingit arguere probando quod totum ubi simul acquiritur, quia in primo instanti in quo aliquod ubi est acquisitum quero: aut ante illud instans aliquid de illo ubi fuit in mobili vel nihil; si nihil, habetur propositum quod totum ubi simul acquiritur; si detur quod aliquid de illo ubi prefuit in mobili, aut ergo in eadem parte vel in alia. Si in alia, tunc illa pars ipsius ubi migraret de subiecto in subiectum; si in eadem parte, tunc illa pars per tempus habuit idem ubi, et per consequens quievit, et tamen totum ponitur moveri ante illud instans datum; ergo eadem pars simul movebatur et quievit secundum idem; quod est impossibile».

Tertia conclusio est quod nulla forma intenditur aut remittitur, sed subiectum per formam fit intensius vel remissius. Ista conclusio sequitur ex secunda, quia postquam non manet eadem forma ante et post, igitur non intenditur preexistens nec sequens intenditur, quia ipsa non prius fuit; et quod non prius fuit non est intensius quam prius fuit; igitur <etc.>; sed quia subiectum dicitur aliquando magis tale et aliquando minus tale secundum formam, ideo subiectum est illud quod intenditur aut remittitur per formam³¹⁶.

Ex his conclusionibus sequuntur correlaria.

Primum: quod non propter hoc forma est magis intensa quia sit magis affixa aut permanentior in subiecto; patet ex conclusione prima. Patet etiam de albedine nivis que facilius corrumpitur quam albedo equi, et tamen ipsa est intensior³¹⁷. Secundo, sequitur quod non fit intensio forme per additionem partis ad partem, ex quibus partibus resultet totum intensius. Tertio, sequitur quod causa propter quam una forma dicitur intensior aut remissior alia eiusdem speciei est maior vel minor latitudo inter illam et non gradum illius forme, vel, si

316 BURLAEUS 1496, IV, 11rb: «Tertia conclusio sequitur ex secunda, quoniam si durante alteratione fit alia et alia et continue in quolibet instanti, tunc nulla qualitas manet in duobus instantibus; sed illud quod augetur oportet manere, ergo nulla qualitas augetur, et per consequens nulla forma intenditur, id est potest patere quod augeri est inferius ad moveri, sed nulla forma movetur, ergo nulla forma augetur, et per consequens nulla forma intenditur. Et hec videtur esse intentio Aristotelis in *Predicamentis*, qui dicit quod iustum et grammaticum dicitur magis et minus: aliquis enim dicitur iustior vel grammaticor alio, sed an iustitia vel grammatica dicatur secundum magis et minus potest quilibet ambigere. Dico igitur quod forma non intenditur, sed subiectum intenditur secundum formam: a forma enim perfectiori dicitur subiectum magis tale, et a forma imperfectiori dicitur subiectum minus tale».

317 BURLAEUS 1496, IV, 11rb: «Ex prima conclusione huius capituli apparet quod forma non intenditur propter maiorem radicationem in subiecto; ex hoc enim quod eadem forma omnino magis radicatur in subiecto quam prius non est forma intensior quam prius, nisi habeat aliquid intrinsece quod prius non habuit, ut patet ex conclusione prima huius capituli. Patet etiam ex hoc quod forma que magis radicatur in subiecto est diuturnior et magis de difficili auferibilis a subiecto, et e converso forma que magis de difficili est auferibilis a subiecto est magis radicata in subiecto. Sed nos videmus quod non oportet illam formam esse intensiorem que magis de difficili est auferibilis a subiecto, quia albedo que est in nive est intensior quam albedo que est in equo vel in cigno, et tamen albedo existens in equo vel in cigno est magis de difficili auferibilis a subiecto quam albedo que est in nive: nam nix est eiusdem nature cum aqua, et propter hoc substantia aque est subiectum albedinis que est in nive; et certum est quod illa albedo nivis est valde auferibilis a substantia aque; ergo non oportet quod qualitas magis radicata in subiecto sit intensior et per consequens maior radicatio forme in subiecto non est causa intensionis forme».

illa forma non est summa, est maior vel minor latitudo inter illam formam et gradum intensissimum illius forme, ita quod simile est de formis eiusdem speciei in intensione et de speciebus universi in perfectione essentiali, quia sicut una species universi est alia essentialiter perfectior et non est possibi // c. 16va // le quod aliqua sit essentialiter perfectior quam prius fuit – quia tunc exiret perfectionem proprie speciei –, ita una forma potest esse alia eiusdem speciei intensior et nullo modo intensior quam prius fuit potest esse. Similiter, sicut una species universi dicitur alia essentialiter perfectior quia plus distat a non gradu perfectionis aut quia minus distat a summa perfectione, ita una forma dicitur alia eiusdem speciei intensior, quia plus distat a non gradu intensiois vel quia minus distat a summo gradu illius qualitatis vel forme³¹⁸.

Contra istam opinionem primo arguam per argumenta que ipse format contra se et ponam solutiones eius, secundo ponam aliqua argumenta contra predictam opinionem.

Primo, arguo contra secundam conclusionem sic: si in motu ad formam intensibilem est continue alia forma etc., sequitur quod idem numero esset producedens et productum respectu eiusdem; sed hoc est impossibile, quia tunc idem esset naturaliter prius et posterius; igitur etc. Et tenet consequentia, quia producens respectu eiusdem est naturaliter prius producto; sed principalis consequentia probatur posito quod caliditas a agat in frigiditatem b et econtra frigiditas b reagat in caliditatem a, et sit nunc medium instans illius actionis; et arguitur sic: caliditas a nunc primo est producta et nihil egit in a nisi frigiditas b ut pono; igitur caliditas a nunc primo est producta <a> frigiditate b, similiter frigiditas b nunc primo est producta, et nihil egit in b nisi caliditas a; igitur frigiditas b est producta nunc primo a caliditate a, et econtra caliditas a a frigiditate b. Ergo patet quod fuit probandum³¹⁹.

318 BURLAEUS 1496, IV, 11va: «Ideo mihi videtur quod causa intrinseca intensiois et remissionis est latitudo forme specificae, ut quia eadem species forme potest salvari in forma magis perfecta et in forma minus perfecta, ideo una forma potest esse intensior alia eiusdem speciei et alia remissior; non tamen potest eadem forma secundum numerum aliquando esse intensior alia eiusdem speciei et alia remissior, nec tamen potest eadem forma secundum numerum aliquando esse intensior, aliquando esse remissior, ut visum est supra».

319 BURLAEUS 1496, IV, 11va: «Et primo ad hoc probandum pono rationes naturales. Et arguo primo sic: si frigidum approximetur calido, frigidum remittit caliditatem et caliditas remittit frigiditatem; si igitur in remissione caliditatis inducatur nova caliditas et in re-

Pro solutione huius argumenti ponit Burleus istam conclusionem: quod non necessario in primo instanti in quo res permanens habet esse, pro tunc habet generans aut producens illam, licet necessario ante habuerit, immo possibile est quod res permanens producta nunc primo est, et tamen illud quod per se egit ad productionem illius nunc primo non est. Istam conclusionem probat predictus doctor questione secunda sui *Colibeti* quinque rationibus³²⁰, et ego addam sextam.

Primo, ipse arguit sic: quandocumque aliquid non repugnat alicui, pro nullo instanti sibi repugnat; sed forme aliquando non repugnat esse sine agente seu producente; igitur pro nullo instanti sibi repugnat; et per consequens nec primo instanti sui esse. Probatur primo, quia est contradictio dicere hoc non repugnat et hoc pro aliquo instanti repugnat; secundo, quia repugnantia ex parte rei est ex parte nature rei; igitur nulla facta variatione ex parte nature rei non fiet variatio repugnantie; sed eadem est natura forme permanentis in primo instanti sui esse et continue post; igitur si post non repugnat esse sine agente, nec ante; sed notum est quod post non repugnat, igitur etc.³²¹

Secundo, probatur eadem conclusio sic per differentiam que ponitur inter formam successivam et permanentem, scilicet quod forma successiva non est tota simul secundum omnes partes eius, sed continue est aliqua eius pars in

missione frigiditatis nova frigiditas, tunc, cum calidum et frigidum sunt approximata adinvicem, caliditas que est in calido inducit novam frigiditatem que est in frigido, et illa frigiditas nova que est in frigido inducit novam caliditatem que est in calido, et sequitur quod idem numero erit generans aliquid et generatum ab illo; quod est impossibile. Consequentia patet: nam hec caliditas generatur ab hac frigiditate et hec frigiditas generatur ab hac caliditate; ergo hec caliditas generat illud a quo generatur».

320 Burlaeus, *Tractatus primus*, 30, 21-27: «Huic rationi respondi et dixi quod in illo instanti ultimo temporis mensurantis totam transmutationem elementorum ad invicem non requiritur agens pro tunc inducens formam, quia pro tunc forma est inducta, et ideo pro tunc non requiritur inducens; inductum enim non oportet inducere, sicut non oportet agere acta, sed sufficit quod fuit inducens in toto tempore precedenti. Et quia istud videbatur quibusdam dubium, ideo probo istam conclusionem secundam per quinque rationes».

321 Burlaeus, *Tractatus primus*, 31, 3-11: «Prima ratio est hec: cui non repugnat aliquid pro uno instanti sibi, pro nullo instanti repugnat illud; sed forme producte in aliquo instanti in quo est producta non repugnat non habere causam agentem eam; ergo forme producte pro nullo instanti repugnat non habere causam agentem. Maior est manifesta, quia repugnantia est ratione naturarum, sed nature manent eedem semper; et si pro aliquo instanti aliqua non repugnant, sequitur quod pro nullo instanti illa repugnant. Minor probatur, quia forme producte post primum instans in quo est producta non repugnat non habere causam efficientem, ut patet manifeste de qualibet forma permanente».

fieri; ideo forma successiva semper requirit causam agentem; sed forma permanens est tota simul; ideo quando facta est, non requirit agens; sed in primo instanti sui esse ipsa est facta complete sive producta; igitur etc.³²²

Tertio sic: in primo instanti forme permanentis materia non est in potentia ad ipsam; igitur pro tunc non requiritur agens ipsam formam. Consequentia tenet, quia non est agens sine potentia materie ad recipiendam actionem agentis; et antecedens patet, quia in illo instanti materia est actu informata illa forma; igitur pro tunc non est in potentia ad illam; si enim tunc esset in potentia ad illam, tunc posset illam de novo recipere; et sic forma que est producta posset de novo produci; quod est impossibile³²³.

Quarto, sic: non magis generatio subita requirit agens sive generans in primo instanti sui esse quam corruptio subita corrumpens; sed corruptio subita non requirit corrumpens in primo sui esse; igitur etc. Maior patet; et minor probatur, quia elementa in generatione mixta se corrumpunt, et tamen in primo instanti sue corruptionis ipsa non sunt³²⁴.

322 Burlaeus, *Tractatus primus*, 31, 12-19: «Secundo potest hoc probari per differentiam inter formam successivam et formam permanentem, que est talis: forma successiva, quia non est tota simul sed semper aliqua pars eius est futura et in potentia, ideo forma successiva semper, dum est, requirit causam efficientem; sed forma permanens, eo quod est tota simul, ideo, quando facta est, non requirit causam agentem eo quod tota forma iam habita est».

323 Burlaeus, *Tractatus primus*, 31-32, 20-6: «Tertio probatur eadem conclusio sic: in illo instanti in quo non remanet in materia potentia ad formam non requiritur agens pro tunc inducens formam, quia quancumque materia non potest recipere formam, pro tunc agens non potest aliquam inducere formam in materia, et non requiritur agens ad inducendum formam pro illo tunc pro quo non potest formam inducere; sed in primo instanti in quo forma est inducta in materia non remanet potentia in materia ad illam formam; ergo etc. Probatio minoris, quia per Commentatorem primo *Physicorum* potentia ad formam corrumpitur in adventu illius forme; cum ergo in primo instanti inductionis forme forma est in materia, sequitur quod in illo instanti non remanet potentia ad istam formam. Et iterum: si potentia ad illam formam tunc remaneret, sequitur quod illa forma posset adhuc iterum induci in materia; et ita eadem forma posset bis induci in materia, quod est impossibile».

324 Burlaeus, *Tractatus primus*, 32-33, 21-2: «Quarto probatur principalis conclusio sic: non magis generatio subita requirit generans in actu pro instanti generationis subite quam corruptio subita requirit corrumpens in actu pro instanti corruptionis subite; sed corruptio subita non requirit corrumpens in actu in instanti corruptionis subite; ergo etc. Maior patet; et probatio minoris: nam elementa per transmutationem eorum ad invicem corrumpunt se, nec hoc negat aliquis; sed pro instanti corruptionis subite elementorum elementa non sunt in actu, sed sunt corrupta; ergo etc.».

Quinto, ponatur quod calidum agat in frigidum donec ipsum corrumpat, et frigidum reagat in calidum; tunc in primo instanti non esse frigidi erit aliqua frigiditas primo prouducta a frigido in calidum, et tamen pro tunc id frigidum non erit; igitur sequitur conclusio. Antecedens pro // c. 16vb // batur, quia tunc terminabitur actio frigidi; igitur tunc primo erit inductus terminus illius actionis, sed iste non est nisi frigiditas; igitur etc.³²⁵.

Sexto, non minoris potentie est forma permanens in primo instanti sui esse quam continue post, sed post primum instans numquam indiget agente, igitur nec in primo instanti. Consequentia patet; et antecedens est possibile in casu posito, quod continue post aliquod tempus immediatum primo instanti sui esse ipsa disponatur ad corruptionem per aliquod agens contrarium; igitur et antecedens est possibile.

Postea predictus doctor movet contra se aliquas instantias.

Primo, quia communiter doctores philosophie facientes difficultatem de generatione mixti ex elementis dicunt quod in primo instanti generationis forme mixti ipsa non producit ab elementis, quia tunc primo elementa sunt corrupta; ideo dicunt quod forma mixti producit tunc a virtute celesti³²⁶.

Secundo, quilibet effectus particularis in actu requirit causam particularem in actu; sed quilibet generatio subita vel inductio rei permanentis est effectus particularis in actu; igitur etc.³²⁷.

325 Burlaeus, *Tractatus primus*, 33, 3-12: «Quinta ratio est ista: ponamus quod calidum intensum agat in frigidum remissum quousque illud frigidum corrumpatur; manifestum est ex doctrina Aristotelis quod passum communicans in materia cum agente reagit. In ultimo ergo instanti temporis mensurantis transmutationem factam a frigido in calidum, aliquid est primo inductum a frigido in calidum, quia terminus illius totius alterationis tunc primo est inductus, et tamen pro tunc non habet agens inducens illum terminum, quia in illo instanti frigidum est corruptum; ergo eodem modo erit in inductione forme substantialis, scilicet quod pro instanti inductionis subite forme substantialis non requiritur agens vel inducens pro tunc».

326 Burlaeus, *Tractatus primus*, 30, 12-20: «Viso de prima conclusione principali videndum est de secunda. Quidam enim doctores faciunt difficultatem de generatione mixti ex elementis, quid scilicet inducit formam substantialem mixti in ultimo instanti temporis mensurantis totam transmutationem ad invicem. Non enim potest dici quod in illo instanti in quo subito inducitur forma mixti, quod inducitur ab ipsis elementis, quia in illo instanti elementa sunt corrupta, et ita in illo instanti non sunt; et quod non est nihil inducit. Ideo currunt ad celum tamquam ad ultimum refugium, dicentes quod in illo instanti ultimo celum inducit formam mixti».

327 Burlaeus, *Tractatus primus*, 33, 20-22: «Sed contra hoc arguitur, quia effectus particularis

Tertio, quilibet actus secundus quandocumque est requirit agens in actu; sed cuiuslibet forme permanentis productio est actus secundus; igitur etc. Patet consequentia cum maiori, quia actus secundus est operatio proveniens ab actu primo, sed necessario omnis operatio requirit operans; igitur etc.³²⁸.

Quarto, aliqua forma permanens pro primo sui esse requirit agens pro illo instanti; igitur et quelibet. Consequentia patet, quia non est maior ratio de una quam de alia; et antecedens patet de lumine quod quamdiu est requirit presentia corporis lucidi³²⁹.

Ad hec argumenta ipse respondet.

Et primo ad primum de generatione mixti dicit quod in primo instanti generationis forme mixti ipsa non requirit agens ipsam, quia pro tunc ipsa est; et auctoritas illorum doctorum negatur³³⁰.

Ad secundum dicit quod effectus particularis potest dupliciter considerari, scilicet in fieri et in facto esse; et tunc concedit duas conclusiones. Prima: quilibet effectus particularis in fieri requirit agens producens ipsum; secunda conclusio: non quilibet effectus particularis in facto esse requirit agens. Et ad sensum prime conclusionis verificatur auctoritas dicta³³¹.

et in actu requirit causam particularem et in actu; sed illa inductio vel generatio subita est effectus particularis et in actu; ergo etc.».

328 Burlaeus, *Tractatus primus*, 33, 23-25: «Item, omnis actus secundus pro mensura qua est requirit operans in actu a quo est ille actus secundus; sed generatio subita est quidam actus secundus; ergo etc.».

329 Burlaeus, *Tractatus primus*, 34, 1-4: «Item, videmus quod illa que subito inducuntur habent causam in actu, ut patet in illuminatione medii a sole; si enim sol corrumperetur in aliquo instanti, in illo instanti deficeret illuminatio medii; ergo eodem modo erit in inductione subita forme substantialis».

330 Burlaeus, *Tractatus primus*, 30, 21-25: «Huic rationi respondidi et dixi quod in illo instanti ultimo temporis mensurantis totam transmutationem elementorum ad invicem non requiritur agens pro tunc inducens formam, quia pro tunc forma est inducta, et ideo pro tunc non requiritur inducens; inductum enim non oportet inducere, sicut non oportet agere acta, sed sufficit quod fuit inducens in toto tempore precedenti»; BURLAEUS 1496, VI, 12vb: «Ad primam rationem naturalem, cum dicitur quod si in quolibet instanti temporis mensurantis alterationem generetur nova qualitas, tunc in instanti in quo frigidum remittit calidum et calidum frigidum illa caliditas generat illam frigiditatem et illa frigiditas illam caliditatem, et ita aliquid generaret aliquid et generaretur ex eodem; dicendum quod in illo instanti in quo res permanens primo habet esse, non habet generans, sed continue ante illud instans habuit generans, sicut declaratum est in primo tractatu conclusione secunda».

331 BURLAEUS 1496, VI, 12vb: «Ad primum dico quod causa particularis et in actu efficiendi simul est et non est cum effecto in fieri: quando enim effectus est in fieri, tunc efficiens

Ad tertium: omnis actus etc., solvit premitendo quod nullius rei generatio vel productio differt a re que producitur aut generatur; quod patet, quia, nisi sic esset, tunc forma que generatur generaretur mediante generatione alia ab illa forma; et cum illa generatio non semper fuerit, sequitur quod est producta et generata; et si sic, aut igitur mediante alia generatione vel seipsa; si primum, similiter arguam de tertia et quarta et sic in infinitum erit processus in generationibus sibi invicem subordinatis, quod est impossibile; si se sola, pari ratione prima forma generata generabatur se sola. Similiter argumentum potest fieri de corruptione. Et tunc ad argumentum dicitur quod generatio potest dupliciter considerari sicut et res que generatur, scilicet in fieri et in facto esse; et tunc posset dicere quod generatio in fieri est actus secundus, et ut sic requirit agens in actu, quod est agens ipsam; sed generatio in facto esse non est actus secundus, sed potius est actus primus, quia ut sic non est nisi forma producta, licet iste doctor non sic explicet solutionem, apparet tamen quod ipse habeat sic consequenter respondere.

Ad quartum: aliqua forma permanens etc., negatur consequentia. Et cum dicitur quod non est maior ratio de una quam de alia, negatur; et causa est quia non omnes forme permanentes sunt consimilis nature: nam aliquae sunt forme permanentes que a suis agentibus dependent in fieri et conservari, sicut est lumen, species coloris et sic de multis aliis, et de talibus formis non est verum illud quod dicebatur, quia quelibet talis, quamdiu est, requirit presentiam eius quod eam produxit; alie vero sunt forme que a suis agentibus dependent solum in fieri vel produci, et de talibus habet veritatem. His premissis respondetur ad argumentum principale cum dicitur quod idem esset producens et productum seu generatum; negatur consequentia. Et cum ulterius arguitur: in medio instanti illius alterationis caliditas a est primo producta etc.; dicit quod caliditas a, que est in medio instanti illius temporis, non producit frigiditatem b nec econtra, quia utraque primo est producta; sed caliditas a producebatur a frigiditate

est in facere; et sic intelligitur illa propositio 'causa particularis et in actu' etc. Et cum dicitur quod generatio subita est effectus particularis et in actu in instanti in quo ipsa est, istud est negandum, quia in illo instanti non est effectus in fieri, sed in facto esse, et ideo pro illo instanti non requirit causam efficientem».

que ante illud in // c. 17ra // stans fuit, et frigiditas b a caliditate que ante illud instans fuit³³².

332 Cf. BURLAEUS 1496, VI, 12vb-13ra: «Sed contra hoc forte arguetur sic: causa particularis et in actu simul est et non est cum effectu particulari in actu, sed in instanti mensurante generationem subitam forme generatio subita est in actu, ergo in eodem instanti requiritur quod generans sit in actu; ergo in primo instanti in quo forma permanens habet esse requiritur generans in actu, ex quo in illo instanti est generatio in actu. Iterum, accipio unum instans in medio temporis mensurantis alterationem calidi a frigido et econverso; in illo instanti est unum calidum remissum generatum; in illo instanti et unum frigidum, ergo utrumque in tempore precedenti fuit in generari; et per consequens istud calidum in illo tempore fuit generans hoc frigidum, et hoc frigidum fuit generans hoc calidum, et ita idem respectu eiusdem fuit generans et generatum. Ad primum dico quod causa particularis et in actu efficiendi simul est et non est cum effectu in fieri: quando enim effectus est in fieri, tunc efficiens est in facere; et sic intelligitur illa propositio 'causa particularis et in actu' etc. Et cum dicitur quod generatio subita est effectus particularis et in actu in instanti in quo ipsa est, istud est negandum, quia in illo instanti non est effectus in fieri, sed in facto esse, et ideo pro illo instanti non requirit causam efficientem. Et si dicatur quod tunc est generatio in actu sine generante in actu; dico quod in illo instanti est generatio in actu existendi sine generatione in actu, tamen generatio numquam est in actu fiendi sine generante in actu. Et si dicatur quod in illo instanti generatio subita primo habet esse, et in illo instanti non habet esse a se; ergo in illo instanti habet esse ab alio, et ita in illo instanti habet causam efficientem. Item, generatio subita habet esse per unum instans tantum; quero ergo a quo corrumpitur; et quando corrumpitur non videtur quod possit dari corrumpens nec mensura in qua fit corruptio. Ad primum dico quod generatio subita in illo instanti in quo habet esse nec habet esse a se nec ab alio agente pro illo instanti, quia secundum Philosophum tertio *Metaphysice* quedam sunt aliquando et aliquando non sunt sine eorum generatione et corruptione et sine generante per se; et ideo dico quod generatio subita in illo instanti in quo habet esse non habet esse a generante nec ab aliquo tunc agente, sed ab agente in tempore precedente, sicut domus in primo instanti sui esse completi habet esse a carpentario prius operante. Et cum secundo dicitur quod illa generatio subita numquam erit postea, ergo indiget aliquo corrumpente et aliqua mensura in qua corrumpatur; dico quod 'generatio subita' potest accipi vel pro eo quod significat vel pro eo quod denominat; 'generatio' enim 'subita' significat formam nunc et non prius existentem, ita quod significat idem quod tota ista oratio, sed denominat formam. Unde in primo instanti in quo forma aeris est inducta in materia, est hec vera: 'hec forma est generatio subita', quia hec forma aeris est nunc et non prius existens, et numquam post illud instans erit verum quod hec forma est generatio, quia semper erit verum postea dicere quod hec forma fuit existens. Dico ergo quod si 'generatio' accipiatur pro eo quod hoc nomen denominat, sicut est hec falsa: 'hec generatio numquam postea erit', sic hec est falsa: 'hec forma numquam postea erit'. Si vero accipiatur pro eo quod hoc nomen significat, sic concedo quod generatio numquam postea erit, nec propter hoc oportet quod habeat per se corrumpens nec mensura sue corruptionis; et hec generatio desinit esse sine eius corruptione, ut dicit Philosophus. Ad aliud quod probat quod idem est generans et generatum respectu eiusdem; dico quod istud non sequitur ex dictis meis. Et quando dicitur quod in instanti medio temporis mensurantis alterationem calidi a frigido est unum calidum remissum generatum; dico quod non est verum, quoniam si calidum vel frigidum intendatur vel remittatur, nullum calidum est generatum, quamvis nova caliditas sit generata; nec est

Licet ista responsio sit bene apparens, tamen salva reverentia tanti doctoris, ipsa non videtur mihi vera. Et primo arguam contra conclusionem super quam fundatur sua responsio; secundo solvam argumenta quibus ipse nititur probare predictam conclusionem; tertio arguam contra suam responsionem.

Quantum ad primum premitto duo. Primo, quod omnis forma naturalis est alicuius difficultatis ad produci ab agente naturali; patet, quia nulla forma ab agente naturali et agente naturaliter potest in infinitum faciliter produci; quacumque enim data aliqua est illa facilius producibilis. Secundo, premitto quod cuiuslibet forme que corrumpitur vel corrumpatur in infinitum remittitur aut remittebatur potentia activa; patet, quia talis deperdetur usque ad non gradum potentie active. Tunc sit ita sicut iste doctor ponit, quod nunc primo sit generata forma mixti ab elementis, et arguitur sic: alicuius certe difficultatis immediate ante instans quod est presens fuit istam formam producere demonstrata forma mixti nunc generata; sed quantumcumque difficultatis immediate ante instans quod est presens illa elementa non poterant superare; igitur immediate ante instans quod est presens non poterant istam formam producere. Maior supponitur; minor probatur, quia quacumque difficultate data immediate ante instans quod est presens, minor fuit potentia activa elementorum postquam remittebatur ad non gradum. Et tenet consequentia, quia nihil sufficit aliquid producere nisi superet resistantiam ad ipsum producendum.

Hic forte diceret quod non est difficultas producendi aliquam formam naturalem nisi ex parte resistantie resistantis ne inducantur dispositiones istam formam necessitantes; et ideo, quia remissa fuit talis resistantia ad non gradum, quia ille dispositiones fuerunt inducte, illa resistantia seu difficultas fuit deperdita usque ad non gradum; et sic dico quod immediate ante instans quod est presens in infinitum facile fuit istam formam producere. Contra istam responsionem arguo: quia ista data sequitur quod ignis posset quamlibet formam mixti quantumcumque perfecti per actionem propriam producere. Consequens impossibile; et consequentia probatur, quia detur aliqua forma quam ignis non sufficit producere per propriam actionem, et sit ista forma hominis gratia argumenti. Contra: non est difficultas in producendo formam hominis nisi ex par-

aliquod frigidum generatum, sed nova frigiditas: nam semper est idem calidum dummodo subiectum est idem, quantumcumque calor varietur».

te resistantie resistantis ne forma hominis inducatur, ut ponit responsio; sed quacumque resistantia data in materia ex qua debet fieri homo, ignis potest illam ad non gradum corrumpere; igitur potest omnem difficultatem que est ad producendam formam hominis superare; et per consequens formam hominis producere. Responsio igitur capit falsum fundamentum, scilicet quod non sit difficultas nisi ex parte resistantie etc.; immo ibi est duplex difficultas, scilicet corrumpendi et removendi resistantiam et producendi istam formam. Et simile argumentum potest fieri de caliditate et frigiditate in argumento principali; et per hoc patet improbatio solutionis quam dedit ad primam instantiam quam movit contra se.

Quantum ad secundum, vado ad argumenta quibus nititur probare conclusionem predictam.

Ad primum, cum arguitur 'quando aliquid non repugnat' etc.; concedo consequens et consequentiam, scilicet quod forme permanenti non repugnat in primo instanti sui esse non habere agens illam; sed repugnat naturali repugnantia agens tunc primo non esse et ipsum agere vel egisse formam permanentem tunc primo existentem; et causa est supra assignata in argumento adducto contra illam positionem, quia requiritur agens sub aliquo certo gradu activitatis esse, vel immediate ante hoc instans quod est presens fuisse; modo repugnat naturaliter aliquid sub certo gradu activitatis immediate ante hoc instans quod est presens fuisse, et illud idem in instanti quod est presens primo non // c. 17rb // esse: necessario enim ad hoc quod talis gradus activitatis deperdatur labitur tempus.

Ad secundum de differentia forme permanentis et successive, dico quod forma permanens non differt a successiva in hoc quod non requirit agens cum ipsa facta vel producta est; immo multe sunt forme permanentes quibus necessario assistit agens quamdiu durant, cuiusmodi sunt lumen et species coloris, et universaliter omnes forme que a suis agentibus dependent in fieri et conservari. Sed differunt forma permanens et successiva, quia nullius forme successive partes sunt omnes simul, sed permanentis sic.

Ad tertium: 'in primo instanti' etc.; dico quod pro illo instanti non requirit agens quod producat illam de non esse ad esse, distinguendo producere contra

productum esse; sed oportet agens tunc agere vel immediate ante illud instans egisse illam formam, et nunc esse in producto esse; et hoc non posset agens nisi nunc sit, ut patet in solutione primi argumenti.

Ad quartum: 'non magis generatio subita' etc.; conceditur maior et minor negatur, scilicet quod corruptio subita non requirit corrumpens. Et cum arguitur de corruptione elementorum in generatione mixti, dico quod sicut in generatione mixti oportet concurrere aliud agens ab elementis, ita in corruptione elementorum oportet aliud corrumpens ab elementis concurrere, quia idem est producens formam mixti et corrumpens formas preexistentes in materiis elementorum, et tale agens erit virtus celestis.

Ad quintum: 'ponatur quod calidum agat' etc.; admitto; et cum arguitur quod in primo instanti non esse frigidi erit aliquas frigiditas etc.; negatur. Et cum arguitur: tunc primo terminabitur actio frigidi, igitur tunc primo erit inductus terminus illius actionis; negatur consequentia. Et causa est quia sicut remittetur frigidum, ita continue inducet minorem frigiditatem; sed ipsum frigidum remittetur usque ad non gradum; igitur continue inducet frigiditatem minorem et minorem seu remissiore usque ad non gradum; et per consequens primum non esse frigidi erit primum non esse frigiditatis inducte ab eo. Ex quo sequitur quod possibile est aliquod agens per totam istam horam produxisse frigiditatem aut aliam qualitatem usque ad hoc instans quod est presens, et tamen in hoc instanti quod est presens nulla est frigiditas inducta aut qualitas ab isto agente. Patet in casu in quo tantum precise corrumpatur de qualitate per agens contrarium sicut illud inducit. Illud igitur argumentum, scilicet 'nunc primo terminatur actio calidi vel frigidi, igitur nunc primo est inductus terminus illius actionis', non valet de forma; sed bene sequitur deducto impedimento agentis contrarii. Vel aliter et facilius stante fundamento positionis dico quod naturaliter est impossibile quod calidum corrumpat frigidum usque ad non gradum frigiditatis, et tamen frigidum reagat in calidum usque ad primum non esse sui inclusive vel exclusive; et causa est quia ad hoc quod frigidum sufficiat reagere in calidum oportet quod virtus activa frigidi continue superet resistantiam calidi, quod non contingit in isto casu, quia virtus activa frigidi deperditur ad non gradum et resistantia calidi non; ideo aliquando virtus activa frigidi non superabit resistantiam calidi, et per consequens tunc non aget frigidum in calidum.

Ad sextum: 'non minoris potentie est forma permanens' etc.; conceditur antecedens, et negatur consequentia, quia, licet ex parte alicuius forme permanentis hoc non repugnet, impossibile tamen est agens facere aut fecisse quod forma permanens nunc primo sit, et tamen nunc primo ipsum agens non sit, ut est declaratum.

Nunc quantum ad tertium arguo contra responsionem suam in se et premitto aliqua. Primo, quod necessario cuicumque effectui producto aut producendo correspondet aliquid agens quod immediate ipsum produxit vel producet; patet, quia dato opposito in infinitum esset processus in causis activis sibi invicem subordinatis. Et patet consequentia, quia capio a effectum gratia exempli et b agens; tunc vel inter a et b est medium aut non; si non, tunc a et b sunt immediata, quod fuit suppositum; si sic, sit id c et arguo de c sicut de b, et sic in infinitum.

Secundo, suppono quod nulla duo instantia sunt immediata.

Istis suppositis in casu argumenti principalis, scilicet quod caliditas a egit in frigiditatem b et econtra usque ad instans quod est presens, arguitur sic: caliditas a nunc primo est producta; igitur aliquod // c. 17va // est vel fuit agens ipsam producens immediate per primam suppositionem; vel igitur id agens est aut fuit frigiditas que nunc est vel que ante hoc fuit; si primum, pari ratione frigiditas que nunc est producta a caliditate que nunc est, et sic idem est producens et productum respectu eiusdem. Si dicitur secundum, vel igitur illa frigiditas immediate ante instans quod est presens fuit vel per tempus medium ante hoc fuit; si dicitur quod illa immediate ante hoc fuit, contra: hec frigiditas b immediate ante hoc fuit, et nulla frigiditas in b duravit nisi per instans, igitur aliquod instans immediate ante hoc fuit, et per consequens illud instans et hoc immediantur; et demonstratur per li 'hoc' continue instans quod est presens. Si dicitur quod per tempus medium ante hoc instans quod est presens fuit ista frigiditas, sit id instans in quo ante hoc fuit c; tunc inter c et presens infinita instantia fuerunt, sed in quolibet instanti alterationis ipsius b fuit alia et alia frigiditas totaliter in b, ut ponit positio, igitur post instans c infinite frigiditates fuerunt, et per consequens frigiditas que fuit in c non immediate produxit caliditatem que nunc est, quod est contra positum.

Ista que dixi contra istum venerabilem doctorem volo dixisse cum supportatione melius dicentium et gratia exercitandi mentes studentium que etsi non sint demonstrativa dabunt tamen aliis modum subtilius investigandi.

Secundo, principaliter arguit predictus doctor contra suam conclusionem sic: 'si etc., tunc semper, quando frigidum remitteret calidum, frigidum per se produceret caliditatem'. Consequens est impossibile, quia tunc frigidum per se calefaceret, quia quodlibet per se producens caliditatem calefacit; et probatur consequentia principalis sic: agat a frigidum in b calidum et econtra per totam istam horam, et sit nunc medium instans istius hore; tunc sic: caliditas b nunc de novo est inducta ab aliquo per se inducente ipsam et nihil egit in b nisi a, ut suppono; igitur etc. Consequentia patet, et maior probatur, quia a per se unica actione egit in b, et per talem actionem non produxit nisi caliditatem que nunc est in b; igitur etc. Vel sic: frigidum per se remittit caliditatem; sed quelibet remissio caliditatis est inductio nove caliditatis, ut ponit positio; igitur etc.³³³

Ad hoc ipse respondet distinguendo quod aliquid per se producere aliquem effectum dupliciter possumus intelligere: vel quod per se producat illum tanquam finem ultimum et ultimo intentum, vel tanquam medium requisitum ad talem finem, verbi gratia grave movet se ad locum qui est sursum si descendat de spera ignis ad speram aeris, sed non intendit istum locum tanquam finem ultimum, quia talis est medium mundi. Et iuxta hoc ipse concederet duas conclusiones: prima est quod possibile est caliditatem per se inducere frigiditatem non tanquam finem ultimo intentum, sed tanquam medium in talem finem, sicut exemplificatum est de gravi. Et similiter iuxta positionem suam calidum

333 BURLAEUS 1496, V, 11va: «Et primo ad hoc probandum pono rationes naturales. Et arguo primo sic: si frigidum approximetur calido, frigidum remittit caliditatem et caliditas remittit frigiditatem; si igitur in remissione caliditatis inducatur nova caliditas et in remissione frigiditatis nova frigiditas, tunc, cum calidum et frigidum sunt approximata adinvicem, caliditas que est in calido inducit novam frigiditatem que est in frigido, et illa frigiditas nova que est in frigido inducit novam caliditatem que est in calido, et sequitur quod idem numero erit generans aliquid et generatum ab illo; quod est impossibile. Consequentia patet: nam hec caliditas generatur ab hac frigiditate et hec frigiditas generatur ab hac caliditate; ergo hec caliditas generat illud a quo generatur. Item, frigidum approximatum calido remittit caliditatem, sed per te remissio caliditatis est inductio nove forme caliditatis; ergo frigidum per se inducit caliditatem; sed quod per se inducit caliditatem, per se calefacit, quia nihil aliud est calefacere quam caliditatem inducere; ergo frigidum per se calefacit, quod est contra Philosophum tertio et quarto *Methaurorum*; ergo falsum est dicere quod semper in intensione vel remissione forme inducitur nova forma totaliter alia a forma priori».

agens in frigidum continue producit aliam et aliam frigiditatem, sed non tanquam finem ultimo intentum³³⁴.

Secundo³³⁵, impossibile est caliditatem per se producere frigiditatem vel econtra tanquam finem ultimo intentum; patet, quia nullum contrarium intendit finaliter suum contrarium producere, sed potius simile. Ex quibus sequitur quod possibile est unum contrarium esse causam alterius, licet non tanquam ultimo intenti. Et tunc, cum arguitur in argumento principali quod frigidum per se calefaceret et econtra, negatur consequentia; et causa est quia non quilibet inductio caliditatis est calefactio, quia inductio remissioris caliditatis quam prius fuit ceteris paribus non est calefactio; sed ad hoc quod aliqua inductio caliditatis sit calefactio requiritur quod terminus a quo illius inductionis caliditatis sit frigiditas vel caliditas remissior quam caliditas que inducitur. Ex quo ulterius sequitur quod non quilibet alteratio per quam acquiritur caliditas cuiuslibet alterationi que acquiritur caliditas est idem specie. Contra: quia distinctio motuum specifica attenditur penes distinctionem terminorum ad quod istorum motuum, et econtra identitas specifica motuum attenditur penes identitatem specificam terminorum ad quos, sed omnium alterationum quibus acquiritur calidi // c. 17vb // tas idem est terminus ad quem secundum speciem; igitur etc. Item, quia motus est de genere termini ad quem, ut ponit Philosophus et Commentator quinto *Physicorum*. Ad primum, cum dicitur 'distinctio motuum specifica attenditur penes distinctionem terminorum ad quos et econtra, scilicet identitas motum attenditur' etc.; dicitur quod non solum penes identitatem vel distinctionem terminorum ad quos attenditur identitas vel distinctio motuum, sed etiam penes distinctionem vel identitatem tam termini a quo quam termini ad quem: aliter enim motus ascensus et descensus essent eiusdem speciei, quia aer existens supra suam speram descendit ad illam, et existens infra movetur sursum ad eandem. Similiter si aliquid per diminutionem fiat bipedale et ali-

334 BURLAEUS 1496, VI, 13rb: «Ad secundam rationem naturalem contra istam viam, cum dicitur quod frigidum per se remittit caliditatem, concedo. Et cum dicitur ergo frigidum per se inducit caliditatem etc.; huic respondeo dupliciter et utraque responsio coincidit in idem. Dico igitur uno modo quod frigidum per se inducere caliditatem potest intelligi dupliciter: uno modo quod frigidum per se inducat caliditatem tamquam ultimum terminum per se naturaliter intentum a frigido; et dico quod isto modo frigidum nunquam per se inducit caliditatem: nam frigidum inducit frigiditatem tamquam ultimum terminum».

335 Ms.: secunda conclusio

quid per augmentationem fiat similiter bipedale, isti motus sunt ad eundem terminum in specie, non tamen sunt eiusdem speciei, quia unus est augmentatio, alter diminutio. Sed aliter et melius iudicio meo dico quod motuum specificatio attenditur penes distinctionem et identitatem terminorum ad quos quos ultimate intendunt mobilia que moventur illis motibus; et ideo, quando remittitur calidum, quia talis terminus ultimus istius alterationis est frigiditas et non caliditas, talis alteratio debet dici infrigidatio et non calefactio; et per hoc patet solutio ad primum et secundum. Et tenens istam responsionem habet consequenter respondendo concedere quod aliquis motus ascensus alicui motui descensus est idem in specie, et quod aliquod augmentum alicui diminutioni, nec hoc videtur multis inconueniens³³⁶.

336 BURLAEUS 1496, VI, 13rb: «Unde frigidum approximatum cum summo calido primo et principaliter intendit inducere frigiditatem, et quia hoc non potest facere nisi inducendo calorem remissum, quod est medium inter summe calidum et frigidum, ideo frigidum per se generat calidum non tamquam finem ultimo intentum, sed tamquam medium necessarium naturaliter ad inductionem finis principaliter intenti. Verbi gratia: grave existens in suprema parte spere aeris movet se ad medium spere aeris non tamquam ad finem ultimum intentum, sed tamquam ad medium per se deveniendi ad finem ultimum intentum, scilicet ad centrum terre. Alio modo potest dici quod frigidum per se inducit calorem ex magis calido, quia frigidum per se habet facere de magis calido minus calidum, tamen frigidum non inducit per se calorem ex frigido vel ex minus calido. Unde oportet diligenter respicere ad illud ex quo tamquam ex termino a quo aliquid producitur: aliquid enim potest producere aliquid ex uno termino quod non potest producere ex alio termino. Et si dicatur quod contrarium non est per se causa sui contrarii, dico quod contrarium non est per se causa sui contrarii tamquam finis ultimo intenti; tamen contrarium bene potest esse causa sui contrarii tamquam medii deveniendi ad finem ultimo intentum. Et cum dicitur illud quod per se inducit caliditatem, per se calefacit; dico quod contingit inducere caliditatem multipliciter: vel ex frigido, vel ex minus calido, vel ex magis calido. Dico tunc quod inducere caliditatem ex frigido vel ex minus calido quam est illud cuius est caliditas inducta, hoc est calefacere; sed inducere caliditatem ex magis calido quam est illud in quo inducitur caliditas, illud non est calefacere, sed magis est frigefacere vel caliditatem remittere. Unde transmutans aliquid de maiori caliditate ad minorem non calefacit illud, quamvis inducat caliditatem, cum inducit minorem caliditatem quam prius. Et si dicatur quod motus capit speciem et denominationem a termino ad quem est, ergo omnis motus ad caliditatem est calefacere; dicendum est quod motus non capit speciem et denominationem solum ex termino ad quem, sed tam ex termino ex quo quam ex termino ad quem: ex hoc enim quod motus specificetur vel denominetur ex termino ad quem, oportet respicere ad terminum a quo incipit motus, nam motus sursum et motus deorsum possunt esse ad eundem terminum, sicut patet: nam motus a terra ad medium aeris est motus sursum, et motus a sphaera ignis ad medium est motus deorsum; et ita motus sursum et motus deorsum possunt esse ad eundem terminum. Similiter motus augmentationis et diminutionis possunt esse ad eundem terminum specie: nam motus a quantitate cubica ad quantitatem bicubicam est motus augmentationis, et motus a quantitate tricubica ad quantitatem bicubicam est

Tertio, principaliter arguitur sic: 'si' etc., tunc sequitur quod effectus per se productus a causa totali illius effectus est multo perfectior illa causa. Consequens est falsum, quia nihil agit ultra perfectionem propriam; consequentia probatur, quia frigiditas agens in caliditatem continue per se tanquam totale agens producit novam caliditatem; sed omnis caliditas qualibet frigiditate est perfectior; igitur etc. Item, sit caliditas summa et sumatur frigiditas remissa et incipiat nunc agere frigiditas in caliditatem, tunc per aliquod tempus continue post hoc et in quolibet instanti illius erit nova caliditas producta a frigiditate; sed per idem tempus erit caliditas multo intensior quam illa frigiditas; igitur per aliquod tempus continue post hoc aget illa frigiditas ultra gradum proprium. Sed argumentum id ipse adducit de remissione calido agente in intense calidum et in idem redit³³⁷.

Ad hoc argumentum ipse respondet sic: quod secundum omnem opinionem remissione calidum agens in intense calidum producit caliditatem perfectiorem quam sit sua caliditas propria, et hoc per caliditatem siam remissam, licet continue caliditas quam producit sit remissior caliditate preexistente intense calido³³⁸.

motus diminutionis. Et ita termini ad quos istorum motuum sunt eiusdem speciei, et tamen motus differunt specie, et ita motus non solum capit speciem et denominationem ex termino ad quem, sed tam ex termino ad quem quam ex termino a quo».

337 BURLAEUS 1496, V, 11va: «Tertia ratio: calidum remissum approximatum summe calido remittit calorem eius, quia certum est quod agit in ipsum, et non intendendo eius calorem, ergo remittendo. Ponamus igitur quod calidum summum excedat calidum remissum in duplo, ita quod in duplo calidius per actionem calidi remissi diminuitur pars eius; tunc calidum remanens erit calidius quam calidum remissum; si ergo in remissione calidi induceretur nova caliditas, sequitur quod effectus esset multo perfectior et nobilior sua causa totali: nam caliditas ad quam pervenitur per actionem calidi remissi est multo perfectior quam caliditas illius calidi remissi, et tamen est ab ea effective tanquam a causa totali; ergo etc. Iterum, secundum hoc quolibet qualitas per se sensibilis corrumpetur sine motu precedente eius corruptionem: nam si frigidum approximaretur calido in primo instanti temporis mensurantis alterationem illa caliditas est et nunquam postea erit, quia continue post illud instans erit caliditas remissior in subiecto, quia aliter agens naturale esset per tempus approximatum passo non impeditum in illa dispositione in qua natum est agere et patiens pati, et tamen agens non ageret in passum; quod est impossibile».

338 BURLAEUS 1496, VI, 13vb-14ra: «Ad tertiam rationem cum dicitur quod calidum remissum approximatum summe calido remittit caliditatem eius, et illa caliditas est maior et perfectior caliditate remissa generante ipsam; dico quod ista ratio est contra omnem opinionem: nam secundum omnem opinionem calidum remissum approximatum summe calido remittit ipsum inducendo novum gradum caliditatis cum gradu calidi remissi remittentis calidum summum, et ita calidum sub gradu imperfectiori causat calidum

Sed in hoc, ut nihi videtur, multum erravit, quia opinio tenens quod intensio fiat per additionem gradus ad gradum utroque remanente non poneret quod remisse calidum agens in intense calidum produceret aliquem gradum caliditatis remissiore quam sit caliditas intense calidi, sed solum remitteret ipsum auferendo aliquem gradum caliditatis ab eo; si enim intensio fiat per additionem partis ad partem etc., etiam remissio fiet opposito modo, scilicet auferendo partem a parte. Secundo, poneret ista opinio quod remisse calidum non agit in intense calidum per caliditatem remissam, sed per frigiditatem quam habet in se, quia si de natura forme remisse esset corrumpere aut remittere formam intensam, tunc lumen remissum superveniens lumini intenso corrumperet aut remitteret ipsum; cuius oppositum ostendetur infra. Et etiam ista clarius dicentur in determinatione tertie opinionis.

Et tunc solvendo argumentum, ipse innuit istam distinctionem, quod aliquam causam producere effectum perfectiorem se ipsa possumus dupliciter imaginari: vel ex termino a quo perfectiori quam est iste effectus qui producit, vel ex termino a quo imperfectiori illo. Exempli gratia frigiditatem per se producere caliditatem possumus dupliciter // c. 18ra // imaginari: vel ex caliditate intensiori quam sit illa caliditas quam producit illa frigiditas, vel ex caliditate remissiori quam illa caliditas que producit. Et iuxta hoc ponit duas conclusiones. Prima: impossibile est aliquam causam totalem per se producere effectum perfectiorem se ipsa ex termino a quo imperfectiori illo effectus; patet inductive, quia frigiditas ex frigiditate aut ex caliditate remissa non potest producere caliditatem intensam³³⁹. Secunda conclusio: possibile est aliquam causam totalem per se producere effectum perfectiorem se ipsa ex termino a quo perfectiori illo effectus; patet iuxta positionem suam, quia frigidum remittens calidum continue producit caliditatem; sic enim producere non arguit magnam perfectionem in agente ex quo de perfectiori producit imperfectius et continue

sub gradu perfectiori; et sic effectus excedit suam causam totalem in perfectione».

339 BURLAEUS 1496, VI, 13va: «Dico igitur quod minus calidum non potest ex minus calido se vel ex frigido producere magis calidum quam ipsum est; tamen minus calidum potest ex magis calido quam ipsum est producere magis calidum seipso diminuendo caliditatem maioris calidi, nec hoc est magne <im>perfectionis, scilicet facere peius de meliori».

plus et plus imperficit³⁴⁰. Et per hoc patet solutio ad argumentum, quia concedit consequens et consequentiam.

Sed contra hoc ipsemet arguit dupliciter. Primo, quelibet causa totalis continet effectum suum formaliter vel virtualiter, sed nihil alio minus perfectum continet id formaliter vel virtualiter; igitur nihil alio minus perfectum est causa totalis illius³⁴¹. Secundo, omnis causa alicuius effectus est univoca vel equivocata; et si est univoca, tunc est eque perfecta cum effectus; si equivocata, tunc est perfectior; igitur etc.³⁴²

Ad hec respondet. Primo, ad primum: 'quelibet causa totalis' etc.; dicit quod aliquid continere aliquid virtualiter est dupliciter: vel secundum gradum perfectionis, qualiter homo continet asinum, vel secundum virtutem activam aut productivam, quomodo semen animalis prolificum continet animal. Et adhuc continere aliquid secundum virtutem activam est dupliciter: vel absolute vel respective; aliquid continere aliud secundum virtutem activam absolute est illud posse ipsum producere ex quocumque ipsum est producibile; sed aliquid continere aliud secundum virtutem activam respective est posse illud producere, licet non ex quocumque ipsum est producibile. Exemplum primi: intense calidum potest producere caliditatem ex quocumque ipsa est producibilis, ideo continet ipsam secundum virtutem activam absolute; exemplum secundi iuxta ipsum: frigidum potest producere caliditatem ex calido, sed non ex frigido, ex quo ipsa est producibilis, ideo continet ipsam secundum virtutem activam respective, et secundum hoc dicit primo quod non omnis causa totalis etc. continet effectum formaliter vel virtualiter secundum gradum perfectionis. Patet, quia secundum ipsum caliditas summa tanquam totalis causa producit for-

340 BURLAEUS 1496, VI, 13va: «Ad formam rationis dico concedendo istam conclusionem quod minus calidum potest producere magis calidum se de maiori calido quam est calidum productum, sicut argumentum probat. Et concedo quod effectus productus ex termino a quo perfectiori se potest excedere suam causam totalem effectivam in perfectione; tamen impossibile est quod effectus univocus excedat in perfectione tam terminum a quo producitur quam etiam suam causam totalem effectivam».

341 BURLAEUS 1496, VI, 13va: «Sed contra hoc arguo. Primo sic: causa totalis effectiva continet effectum vel formaliter vel virtualiter, sed minus perfectum non continet magis perfectum nec formaliter nec virtualiter, ergo minus perfectum non potest esse causa totalis productiva magis perfecti».

342 BURLAEUS 1496, VI, 13va: «Item, causa effectiva vel est causa equivocata effectus vel est causa univoca; si sit causa equivocata, tunc est causa perfectior quam effectus; si sit causa univoca, sic est eque perfecta; ergo numquam potest causa totalis productiva esse imperfectior effectus».

mam substantialem ignis, quam non continet formaliter nec virtualiter secundum gradum perfectionis; similiter frigiditas agens in calidum remittit ipsam caliditatem et remittendo producit caliditatem, et tamen frigiditas non continet caliditatem formaliter nec virtualiter secundum gradum perfectionis. Dicit secundo quod omnis causa totalis alicuius effectus continet ipsum virtualiter in virtute activa vel activitatis, et tunc ad argumentum negatur minor³⁴³.

Ad secundum, cum dicitur 'quelibet causa' etc., conceditur; et cum dicitur 'si est causa equivocata est perfectior suo effectu'; negatur. Et certe consequenter respondendo valde subtiliter locutus est³⁴⁴.

343 BURLAEUS 1496, VI, 13va: «Ad primum dico concedendo maiorem; et ad minorem cum dicitur quod minus perfectum etc.; dico quod continentia virtualis est duplex: quedam secundum gradum perfectionis, et quedam secundum virtutem activitatis, sicut declaravi in tractatu primo conclusione prima. Adhuc nunc addo ulterius quod continentia secundum virtutem activitatis est duplex, scilicet absoluta et respectiva; et iste continentie sunt multum diverse: nam homo continet asinum virtualiter secundum gradum perfectionis, quia est perfectior asino, et tamen homo non continet asinum secundum virtutem activitatis, quia non continet asinum in virtute sua activa. Similiter caliditas summa continet formam substantialem ignis in virtute sua activa, quia, ut opinor et etiam declaravi in tractatu primo conclusione prima, quod forma accidentaliter potest in virtute propria producere formam substantialem, et tamen caliditas summa non continet formam substantialem secundum gradum perfectionis. Et ita iste continentie sunt diverse. Ulterius dico quod continentia secundum virtutem activitatis absoluta est illa secundum quam agens potest producere effectum ex quocumque de quo est producibilis; continentia vero secundum virtutem activitatis respectiva est secundum quam agens potest producere effectum ex aliquo ex quo est producibilis, non ex omni. Dico ergo quod minus calidum continet magis calidum continentia secundum gradum seu virtutem activitatis respectivam: nam minus calidum in virtute sua activa respectu summi calidi vel maioris calidi tamquam termini a quo continet magis calidum quam ipsum est, quia de summo calido potest producere magis calidum quam ipsum est, sed minus calidum non potest producere magis calidum ex frigido vel ex minus calido quam ipsum est ceteris paribus. Et ita dico quod minus calidum non continet magis calidum virtualiter nec secundum gradum perfectionis nec secundum virtutem activitatis absolutam, sed secundum virtutem activitatis respectivam».

344 BURLAEUS 1496, VI, 13va-b: «Ad secundum cum dicitur vel est causa univoca vel equivocata; dico quod sive sic sive sic, nihil ad propositum, quia dico quod causa equivocata potest esse imperfectior suo effectu, ut calor est imperfectior forma substantiali ignis. Similiter non oportet causam univocam esse eque perfectam cum suo effectu, quia ad hoc quod sit causa sufficit quod sit causa eiusdem speciei cum effectu, quod autem sit eque perfecta vel perfectior, hoc accidit. Dico ergo quod minus calidum est causa univoca maioris calidi, nec propter hoc oportet quod sit eque perfectum cum eo, sicut patet in aliis: minor ignis vel minus calidus potest producere ignem magis calidum de materia magis disposita ad calorem et ad formam ignis quam est materia minoris ignis vel ignis minus calidi, sicut una scintilla ignis potest de stупpa producere maiorem caliditatem et ignem se. Unde multum est respiciendum ad illud ex quo ignis fit».

Primo³⁴⁵, principaliter contra idem arguit sic: quia sequitur quod quolibet qualitas per se sensibilis esset corruptibilis sine motu precedente suam corruptionem. Et probatur consequentia: incipiat a calidum agere in b frigidum et econtra; et tunc patet quod caliditas a immediate post hoc erit corrupta et similiter frigiditas b, et tamen nullus motus precessit in a vel in b, quia nunc primo incipit alteratio in utroque illorum. Sed ex consequente sequuntur plura inconvenientia: primum, quod omnis talis qualitas esset acquisibilis sine motu precedente eius acquisitionem, quod est impossibile, quia tunc ad qualitates per se sensibiles de tertia specie qualitatis non esset per se motus, quod est contra Philosophum septimo *Physicorum*. Et consequentia patet, quia omne quod est subito corruptibile sine motu precedente eius corruptionem est subito producibile sine motu precedente eius productionem. Secundo, ex consequente illo sequitur quod alicuius rei permanentis et cuiuslibet eius partis datur ultimum esse; tenet consequentia ex quo talis qualitas subito corrumpitur sine motu // c. 18ra // tu precedente eius corruptionem; falsitas consequentis patet octavo *Physicorum*. Tertio, non corrumpitur caliditas nisi per inductionem frigiditatis, sicut nec forma habens contrarium corrumpitur nisi per inductionem sui contrarii; sed nulla frigiditas subito inducitur sine motu precedente eius inductionem, aliter enim ad ipsam non esset per se motus; igitur nec etiam corrumpitur caliditas subito sine motu precedente eius corruptionem³⁴⁶.

Ad hec respondet: cum arguitur 'sequitur quod quolibet qualitas per se sensibilis' <etc.>; conceditur consequens et consequentia. Dicit tamen quod necesse

345 Ms.: quarto (ex Burlaeo)

346 BURLAEUS 1496, V, 11va-b: «Et confirmatur: nam forma que tota simul corrumpitur, corrumpitur sine omni motu precedente; sed hoc est falsum, scilicet quod qualitas per se sensibilis corrumpatur sine motu precedente, tum quia illud quod corrumpitur sine motu precedenti potest generari sine motu precedente; ergo si qualitas per se sensibilis potest corrumpi sine motu precedente, posset generari sine motu precedente, et per consequens ad qualitatem per se sensibilem non esset motus per se, cum possit acquiri in subiecto sine motu, quod est contra Philosophum septimo *Physicorum*. Tum quia qualitas per se sensibilis habens contrarium non potest corrumpi nisi per inductionem sui contrarii; sed nullum contrarium per se sensibile inducitur subito sine motu precedente; ergo nulla qualitas sensibilis corrumpitur subito sine motu precedente; tum quia, si qualitas per se sensibilis corrumpetur sine motu precedente, sequitur quod esset dare ultimum instans in quo res permanens habere esse, quod est contra Philosophum octavo *Physicorum*. Et consequentia patet: nam illius rei que corrumpitur subito sine motu precedente est dare ultimum instans in quo habet esse, quia talis res est in aliquo instanti et numquam postea erit».

est quod omnis qualitas corrumpatur vel per motum precedentem vel sequentem qualitatem illam, et ita est in proposito, quia talis forma corrumpitur per motum sequentem; motus enim qui est ab aliqua forma contrariatur illi forme, ut dicit Commentator quinto *Physicorum* commento 62³⁴⁷. Verumtamen ista auctoritas videri meo non est multum ad propositum. Et cum arguitur quod talis qualitas esset subito producibilis, negatur consequentia. Et cum arguitur quod sic, quia omne quod est subito corruptibile sine motu precedente est similiter sine motu producibile, negatur; immo oppositum est valde rationabile, quia, cum generatio et corruptio sint mutationes opposite, habent fieri modo opposito; ideo talis forma corrumpitur subito per motum sequentem et non precedentem, et generatur per motum precedentem et non sequentem³⁴⁸.

Ad secundum inconveniens, cum arguitur quod alicuius rei permanentis etc., respondet: non est possibile dari ultimum rei permanentis substantialis, sic quod in aliquo instanti talis res sit et immediate post illud instans nec sit talis res nec aliqua eius pars. Sed in rebus accidentalibus permanentibus dicit quod dari ultimum instans possumus dupliciter imaginari: vel secundum speciem vel secundum individuum. Exemplum primi: si sor nunc in se haberet calidi-

347 Averr., *In V Phys.*, com. 62, ARISTOTELES 1560, IV, 198-199.

348 BURLAEUS 1496, VI, 13vb: «Ad quartam rationem naturalem cum dicitur quod ad hanc opinionem sequitur quod quelibet qualitas per se sensibilis corrumpetur sine motu precedente ipsam; dico quod non est mihi inconveniens, sed valde necessarium quod qualitas per se sensibilis possit corrumpi sine motu precedente, numquam tamen qualitas per se sensibilis et habens contrarium corrumpitur sine motu precedente et sine motu sequente. Dico tunc quod si frigidum approximetur calido, erit alteratio calidi a frigido et econverso; et concedo quod in primo instanti temporis mensurantis illam alterationem illa caliditas est, et numquam postea erit; et ita illa caliditas non corrumpitur per motum precedentem, sed per motum sequentem: motus enim sequens contrariatur forme a qua est, quia, ut dicit Commentator octavo *Physicorum* commento 69, motus qui est ab aliqua forma contrariatur illi forme. Et quando dicitur quod si qualitas per se sensibilis corrumpetur sine motu precedente, quod tunc posset generari sine motu precedente; dico quod istud non sequitur, unde contrario modo se habent generatio et corruptio. Sicut enim forma fit et generatur per motum precedentem, ita corrumpitur per motum sequentem. Et quando ulterius dicitur quod forma habens contrarium non corrumpitur nisi per inductionem sui contrarii, et nullum contrarium inducitur sine motu precedente; dico quod forma permanens habens contrarium habet duplex contrarium, scilicet formam permanentem contrariam eiusdem speciei et motum ab illa forma; et ita potest corrumpi indifferenter tam per inductionem forme permanentis contrarie quam etiam per motum sequentem, qui est per se ab illa forma. Dico ergo quod quamvis nulla forma permanens contraria forme inducatur sine motu precedente, tamen motus ab ipsa forma inducitur sine motu precedente, ideo talis forma potest corrumpi sine motu precedente».

tatem, et immediate post hoc illa esset corrupta et non alia de novo producta; exemplum secundi: si immediate post hoc illa esset corrupta, et immediate alia eiusdem speciei producta de novo. Et secundum hoc dicit duo: primo, quod non est possibile dari ultimum esse alicuius accidentis permanentis secundum speciem; patet ad intellectum datum, quia iuxta positionem suam non corrumpitur aliquis gradus albedinis aut caliditatis nisi alter introducatur eiusdem speciei cum illo. Secundo, dicit quod cuiuslibet accidentis permanentis contingit dari ultimum instans sui esse secundum individuum et per hoc solvitur secundum inconveniens³⁴⁹.

Ad tertium, cum arguitur 'non corrumpitur caliditas' etc.; negatur consequentia, quia, licet quelibet frigiditas que inducitur post corruptionem caliditatis inducatur per motum precedentem eam, tamen motus precedens eam est sequens caliditatem que corrumpitur per inductionem illius frigiditatis, ita quod idem est vel erit motus quo corrumpitur caliditas et inducitur frigiditas aut saltem in eadem mensura erunt isti motus. Verum est tamen quod iste doctor hic dicit multa verba sed in summa ista videtur esse solutio³⁵⁰.

Sed contra istam solutionem ipse arguit dupliciter quantum ad hoc quod ponit formam corrumpi per motum sequentem.

Primo, sic: nihil corrumpitur quando ipsum non est; sed continue quando motus sequens est, tunc forma que corrumpitur per illum motum non est, quia iam est corrupta; igitur tunc ipsa non corrumpitur; et per consequens non corrumpitur per motum sequentem. Item, non potest aliquid corrumpi per illud

349 BURLAEUS 1496, VI, 13vb: «Et quando tertio dicitur quod si forma permanens corrumpetur subito et sine motu precedente, tunc esset dare ultimum instans rei permanentis in esse; dico quod in substantiis non est dare ultimum instans rei permanentis in esse, neque secundum speciem neque secundum individuum; sed in qualitatibus ad quas est per se motus est dare ultimum instans rei permanentis in esse secundum individuum, non secundum speciem. Unde bene est accipere ultimum instans in quo hec albedo est in subiecto, sed non est dare ultimum instans in quo subiectum est album; et ita non est dare ultimum forme specificae in subiecto, licet sit dare ultimum instans forme indivisibilis in subiecto; et hec est intentio Philosophi octavo *Physicorum*».

350 BURLAEUS 1496, VI, 13vb: «Sed forte dicitur quod forma non potest corrumpi per motum sequentem, quia forma non corrumpitur quando non est; sed quando motus sequens formam est, tunc forma non est; ergo etc. Item, non videtur quod aliquid corrumpatur per illud quod est post ipsum, quia corruptio presupponit corrumpens; ergo forma non potest corrumpi per motum sequentem».

quod est precise post ipsum, quia corruptio presupponit corrumpens; igitur non corrumpitur forma per motum sequentem illa³⁵¹.

Ad hec respondet: primo, ad primum, 'nihil corrumpitur' etc.; dicit quod corrumpi idem est quod desinere esse; sequitur enim: hoc corrumpitur, igitur hoc desinit esse et econtra, capiendo 'corrumpi' generaliter pro 'mutari de esse ad non esse'; similiter 'generari' idem est quod 'incipere esse'. Et ideo, sicut dupliciter potest contingere aliquid desinere esse, vel scilicet quia nunc est et nunquam post hoc erit, vel quia nunc non est et immediate ante hoc fuit, demonstrando per li 'hoc' instans quod est presens, ita dupliciter potest aliquid corrumpi: vel quia nunc est et nunquam post hoc erit, vel quia nunc non est et immediate ante hoc fuit. Et consimiliter per omnia dicatur de generari et incipere esse. Et ex hoc sequitur quod possibile est idem simul generari et corrumpi, sicut est possibile idem simul incipere // c. 18va // esse et desinere esse, exponendo li 'desinit' per positionem presentis et remotionem futuri, et 'incipit' per positionem presentis et remotionem preteriti. Et tunc ad argumentum: 'nihil corrumpitur' etc.; concedo exponendo 'corrumpi' per positionem de presenti et remotionem de futuro; sed exponendo 'corrumpi' per remotionem de presenti et positionem de preterito non repugnat corrumpi aliquid quod non est. Dico tamen quod talis forma corrumpitur in ultimo instanti in quo ipsa est, et hoc per motum sequentem, non quia motus sequens agat ad corruptionem illius forme, sed quia agens talem motum facit per talem motum quod hec forma nunc est et non immediate post hoc erit, et hoc est ipsam corrumpi, quia nisi nunc fieret vel inciperet fieri talis motus, hec forma non corrumperetur nunc nec desineret esse³⁵².

351 BURLAEUS 1496, VI, 14ra: «Ad secundum, cum dicitur quod nihil corrumpitur per illud quod est post ipsum, dico quod nihil corrumpitur effective per illud quod solum habet esse post ipsum, quia corruptio presupponit corrumpens effective; dico tamen quod nihil corrumpitur formaliter nisi per illud quod solum habet esse post ipsum, sicut calor non corrumpitur formaliter nisi per frigus inductum in suo subiecto, et illud frigus solum habet esse post calorem corruptum».

352 BURLAEUS 1496, VI, 13vb: «Ad primum, cum dicitur quod forma non corrumpitur quando non est, dico quod per 'corrumpi' possumus duo intelligere, scilicet vel 'habere esse nunc et statim sine medio habere non esse', vel per 'corrumpi' potest intelligi 'nunc primo habere non esse et sine medio habere esse'. Ista distinctio patet, quia idem est 'corrumpi' et 'desinere esse'. Nunc autem 'desinere' exponitur dupliciter: uno modo per positionem presentis et negationem futuri, et sic illud desinit esse quod nunc est et postea numquam erit; alio modo exponitur per negationem presentis et positionem pre-

Ad secundum, cum dicitur 'non potest aliquid corrumpi' etc.; respondetur quod aliquid corrumpi per aliquid est dupliciter: vel effective vel formaliter; exemplum primi: frigiditas per caliditatem calidi agentis in ipsam corrumpitur effective; exemplum secundi: caliditas corrumpitur formaliter per motum qui est remissio caliditatis aut per frigiditatem inductam in subiecto in quo est caliditas. Et dicitur per ipsum corrumpi formaliter motus, quia motus ille quo acquiritur frigiditas et deperditur caliditas est ad frigiditatem tanquam ad terminum ad quem; terminus autem ad quem est motus potest dici forma motus, quia motus capit denominationem a termino ad quem³⁵³.

Et iuxta hoc ipse ponit duas conclusiones.

Prima: impossibile est aliquid corrumpi effective per illud quod est vel erit precise post ipsum; patet, quia quelibet corruptio presupponit corrumpens effective. Secunda conclusio: possibile est aliquid corrumpi formaliter per motum sequentem, sed non effective. Et cum arguitur quod non, quia quelibet corruptio presupponit corrumpens; conceditur effective³⁵⁴.

teriti, et sic illud desinit esse quod nunc non est et sine medio fuit. Similiter et 'incipere esse' exponitur dupliciter: uno modo per positionem presentis et negationem preteriti, et secundum istam expositionem illud quod incipit esse nunc est et numquam prius fuit; alio modo exponitur per negationem presentis et positionem futuri, et secundum hoc illud incipit esse quod nunc non est et sine medio erit. Et sicut 'incipere' et 'desinere' exponuntur dupliciter, ita 'generari' et 'corrumpi' exponuntur dupliciter, et secundum hoc illa que non habent esse nisi per instans simul generantur et corrumpuntur, quia instans et mutatum esse quando est generantur exponendo 'generari' per positionem presentis et negationem preteriti; similiter quando est corrumpuntur exponendo 'corrumpi' per positionem presentis et negationem futuri. Et sic solvitur difficultas de instanti, scilicet quando presens corrumpitur, sicut declaravi in quarto *Physicorum*».

353 BURLAEUS 1496, VI, 13vb-14ra: «Ad formam rationis quando dicitur quod forma non potest corrumpi per motum sequentem; dico quod exponendo 'corrumpi' per positionem presentis et negationem futuri, sic forma corrumpitur per motum sequentem non effective, sed formaliter, sicut calor corrumpitur formaliter per frigiditatem inductam in suo subiecto et effective per frigiditatem existentem in alio subiecto. Et quando dicitur quod forma non corrumpitur nisi quando est, quia talis forma non corrumpitur nisi exponendo 'corrumpi' per positionem presentis et negationem futuri, quia ex quo est dare ultimum esse talis forme, non est dare primum non esse talis forme, et ideo non corrumpitur exponendo 'corrumpi' per negationem presentis et positionem preteriti».

354 BURLAEUS 1496, VI, 14ra: «Ad secundum, cum dicitur quod nihil corrumpitur per illud quod est post ipsum, dico quod nihil corrumpitur effective per illud quod solum habet esse post ipsum, quia corruptio presupponit corrumpens effective; dico tamen quod nihil corrumpitur formaliter nisi per illud quod solum habet esse post ipsum, sicut calor non corrumpitur formaliter nisi per frigus inductum in suo subiecto, et illud frigus solum habet esse post calorem corruptum».

Sed contra primam conclusionem arguo sic: sit ita quod caliditas a non sufficiat agere in frigiditatem b, sed intendatur quoad sufficiat, et approximetur sibi b sufficienter; vel tunc dabitur primum instans in quo a sufficit agere in b vel ultimum in quo non; non primum, quia non datur primum instans in quo activitas sive potentia activa a excederet resistentiam b; sed quandocumque potentia activa a excedet resistentiam b, precise tunc sufficet a agere in b; igitur non dabitur primum in quo a sufficit agere in b. Si dicitur secundum, sit nunc illud instans et arguitur: frigiditas b nunc corrumpitur, quia nunc incipit a agere in b, et per consequens frigiditas b totaliter desinit esse et corrumpitur per positionem de presenti et remotionem de futuro iuxta istam positionem; vel igitur corrumpitur effective a caliditate que nunc est, et hoc non, quia talis nunc non sufficit agere, ut ponit casus; vel a caliditate que post hoc erit, et sic habetur oppositum prime conclusionis, scilicet quod aliquid corrumpitur effective ab aliquo quod non est nec fuit, sed solum post hoc erit. Similiter ex ista responsione sequitur quod aliquid corrumpitur ab aliquo quod nec est, nec fuit, nec unquam erit; quod arguitur sic: in casu posito frigiditas b non corrumpitur a caliditate que est, nec que fuit, nec que erit; probatur primo, quia non a caliditate que est aut que fuit, ut patet in alio argumento, nec a caliditate que erit, quia caliditas a que corrumpet frigiditatem b vel erit immediate post hoc vel tempus erit antequam ipsa erit. Si dicitur primum, cum quelibet caliditas a in tali casu, in quo ponitur a intendi, duret precise per instans, sequitur quod aliquod instans immediate post hoc erit; quod est impossibile. Si dicitur secundum, contra: quia frigiditas b immediate post hoc erit corrupta, et per tempus erit antequam caliditas a erit; igitur per tempus prius erit frigiditas corrupta ab aliquo quam aliquod corrumpens ipsam erit; quod est impossibile; primo, quia pari ratione illa frigiditas corrumpitur a caliditate que erit hinc ad mille annos; secundo, quia secundum ipsum corruptio et corruptum presupponunt corrumpens effective. // c. 18vb //

Quinto principaliter sic arguit: agat a ignis in b aquam, et econtra reagat b aqua in a ignem ipsum remittendo; tunc vel per aliquid tempus totum manebit eadem caliditas in a igne vel non; si sic, sequitur oppositum illius opinionis; si non, igitur a ignis non calefaciet b aquam; quod est contra positum. Et probatur consequentia sic: quia non est possibile quod aliquid calefaciat aliud

per aliquod quod durat precise per instans; sed quelibet caliditas a ignis durabit precise per instans; igitur non est possibile a ignem calefacere per aliquam qualitatem suam. Consequentia patet cum minori; et maior probatur, quia impossibile est quod aliquis motus effective fiat ab illo quod durat precise per instans³⁵⁵. Huic argumento respondet concedendo consequens et consequentiam ultimam, scilicet quod a ignis non calefaciet b aquam per aliquam caliditatem in illo casu, sed per infinitas caliditates calefaciet a ignis b aquam. Et ponit exemplum sic: sol per motum suum calefacit aerem quiescentem non per aliquem radium, quia nullus talis durat nisi per instans, aliter enim secundum motum solis transiret de subiecto in subiectum, sed per infinitos radios sol calefacit aerem quiescentem, ut patet intelligenti. Et consimiliter per omnia dicatur de a et b in casu posito³⁵⁶.

Contra istam responsionem arguo sic: si per infinitas caliditates a calefaciet b, igitur li 'infinitas' tenetur cathegorematicae vel sincathegorematicae; si primum, igitur a calefaciet b per aliquas caliditates que sunt vel erunt infinite caliditates, quod est impossibile; si dicitur secundum, igitur per duas caliditates a calefaciet b et per tres, et sic in infinitum. Consequens falsum, quia per nulla duas caliditates a calefaciet b, quia omnes due caliditates a sunt vel erunt solum per

355 BURLAEUS 1496, V, 11vb: «Item, omne agens naturale communicans in materia cum passo repatitur in agendo, ut patet ex tertio *Physicorum* et ex primo *De generatione*; ignis ergo calefaciens aquam repatitur, et per consequens caliditas remittitur; si ergo non posset eadem caliditas esse prius intensior deinde remissior, sequitur quod quando ignis calefacit aquam, quod in quolibet instanti temporis mensurantis calefactionem ignis haberet aliam et aliam caliditatem numero, ita quod nulla caliditas duraret nisi per unum instans; sed hoc est impossibile. Probatio: nam ex quo calefactio mensuratur tempore, per illud quod non durat per tempus non potest ignis calefacere; sed nulla caliditas ignis calefacientis durat per tempus per te, ergo ignis calefaceret, et tamen nulla caliditate calefaceret; quod videtur absurdum».

356 BURLAEUS 1496, V, 14ra: «Ad quintam rationem naturalem, quando dicitur quod agens naturale etc.; sive ista concedatur sive non, non est magna cura, quia sufficit quod agens naturale repatiatur in agendo. Et cum dicitur quod caliditas ignis calefacientis aquam continue remittitur, tunc ignis calefaceret et per nullam caliditatem calefaceret; concedo conclusionem quod ignis repatiens ab aqua calefacit et per nullam caliditatem calefacit eam, sed per infinitas caliditates calefacit. Exemplum huiusmodi: sol per motum suum causat radium in domo, et in quolibet instanti est alius et alius radius numero, quia fit in alia et alia parte aeris secundum motum solis aere quiescente, quod non esset nisi esset alius et alius, quia aliter transmigraret de subiecto in subiectum; existens per aliquod tempus in illis radiis calefit a sole, non per aliquem unum radium, sed per infinitos radios; et hoc est manifestum intelligenti. Eodem modo dico quod ignis calefacit aquam per infinitas caliditates et non per unam solam caliditatem».

duo instantia, ut ponit; sed non est possibile quod aliqua que sunt vel erunt solum per duo instantia calefaciant per tempus, quia aliter in tempore medio inter ista duo instantia fieret calefactio ab illis caliditatibus, et tamen non essent tunc ille caliditates nec aliqua ipsarum; et consimiliter arguitur de tribus et quatuor, et sic in infinito. Ad exemplum de radio dico quod nullus radius manet precise per instans secundum se et quodlibet sui, quia quilibet acquiritur successive, et similiter successive deperditur. Et cum arguitur quod tunc migraret de subiecto in subiectum, negatur consequentia, quia non imaginor quod radius existens in a puncto, gratia exempli, moveatur ad motum solis, cum sol recedit ab a puncto insequendo solem, sed in eodem puncto per tempus stabit ipse vel aliquod eius antequam totaliter erit corruptus, et sicut sol obiicietur continue et successive alteri et alteri puncto medii quiescentis, ita continue et successive producet alium et alium gradum.

Sexto, principaliter: 'si' etc., sequitur quod una gutta aque sufficeret corrumpere totam caliditatem spere ignis; consequens est absurdum; et consequentia probatur sic: approximetur una gutta aque spere ignis, tunc ignis agit in aquam; igitur aqua agit in ignem ipsum remittendo, quia sunt communicantia in materia; sed cuiuslibet caliditatis ignis remissio est eius totalis corruptio per te; igitur tota caliditas ignis corrumpitur. Ex quo sequitur ultra quod a sufficit corrumpere quamlibet caliditatem mundi, quia potest corrumpere totam caliditatem ignis et nulla est maior; igitur etc.³⁵⁷

Ad hoc respondet quod li 'totum' potest teneri cathegorematicae et sincathegorematicae, ut est notum ex logica; si primo modo, conceditur quod quelibet frigiditas quantumcumque parva potest corrumpere totam caliditatem ignis, sed non secundo modo potest corrumpere, quia esset sensus quod una gut-

357 BURLAEUS 1496, V, 11vb: «Iterum, si modica aqua apponatur toti spere ignis, patitur ab igne, et per consequens agit in ignem, quia communicant in materia modica; ergo aqua apposita spere ignis remittit caliditatem totius ignis in sua spera; sed remissio caliditatis per te est corruptio caliditatis preexistentis; ergo modica aqua apposita toti spere ignis corrumpere totam caliditatem que est in toto igne; quod est absurdum. Confirmatur deducendo ad maius inconueniens sic: quod potest destruere fortius et magis potens ad resistendum, potest destruere debilius et minus potens ad resistendum; sed calor totius ignis in sua spera est fortius et magis potens ad resistendum frigido quam aliquis alius calor; ergo si modica aqua apposita toti spere ignis possit corrumpere totum calorem ignis ibi existentis, sequitur quod modica aqua potest omnem calorem destruere, et ita posset destruere totum ignem; quod est valde absurdum».

ta sufficeret corrumpere quamlibet partem caliditatis ignis. Et hic potest tangi difficultas de reactione, utrum quelibet frigiditas quantumcumque parva sufficeret reagere in caliditatem quantumcumque magnam, sed pro nunc transeo illam³⁵⁸.

Septimo, principaliter sic arguitur: si non maneret eadem forma etc., quelibet esset indivisibilis intensive et nulla habeat partes graduales. Consequens falsum; et consequentia patet de se; sed falsitas consequentis probatur, quia tunc ad nullam formam esset per se motus; quod probatur, quia alteratio est motus continuus; igitur non est nisi ad illud quod est continue et successive acquisibile; sed nulla forma est huiusmodi; igitur etc. Ad hoc ipse respondet concedendo consequens et consequentiam, scilicet quod quelibet est indivisibilis intensive; et cum arguitur // c. 19ra // quod ad nullam formam esset per se motus, negatur. Et cum arguitur: alteratio est motus continuus, igitur non est nisi ad id quod est continue et successive acquisibile, negatur. Consequentia ad hoc enim quod aliquid sit per se motus hoc non requiritur, sed requiritur primo quod talis forma habeat contrarium resistens; secundo requiritur quod species in qua est illa forma habeat latitudinem graduum secundum quam posset esse motus continuus, et ita est. Sed contra: quia Philosophus in septimo *Physicorum* ponit quod ad virtutem et ad vitium non est per se motus, quia consistunt in indivisibili; sed per te omnis forma consistit in indivisibili; igitur ad nullam formam est per se motus; respondeo quod Philosophus non ponit quod ad virtutes et ad vitium non est per se motus quia consistant in indivisibili intensive,

358 BURLAEUS 1496, VI, 14ra: «Ad tertiam (sextam?) rationem naturalem, cum dicitur quod hec modica aqua apposita spere ignis corrumpet totum calorem ignis existentis in sua spera, quia remittit totum calorem; dico quod accipiendo 'totum' sincathegorematicè, scilicet pro qualibet parte, sic modica aqua apposita spere ignis non corrumpit totum calorem ignis ibi existentis, quia non agit in quamlibet partem ignis nec patitur a qualibet parte, sed patitur ab aliqua parte ignis et agit in illam et destruit totum illius partis ignis in quam primo agit inducendo in illam partem calorem remissiore. Sed debet bene concedi quod aqua modica apposita spere ignis destruit totum calorem totius, accipiendo 'totum' cathegorematicè, scilicet pro calore extenso super totam speram ignis. Dico ergo quod accipiendo 'totum' cathegorematicè, scilicet pro perfecto ex partibus, sic dico quod modica aqua apposita spere ignis destruit totum calorem ignis, quia destruit aliquam partem ignis, sed non destruit totaliter totum calorem ignis; unde destruens aliquam partem rei inanimate destruit totam illam rem inanimatam, quia non manet eadem res inanimata destructa parte; tamen destruens unam partem rei inanimate non destruit totaliter illam rem inanimatam».

sed quia in nulla specie virtutis seu vitii est latitudo graduum secundum quam possit esse motus sicut est in aliis formis.³⁵⁹

Sed contra: quia per eandem virtutem secundum speciem aliquis dicitur magis et minus virtuosus; igitur secundum speciem virtutis sunt gradus intensi vel remissi; sed inter quoscumque gradus eiusdem speciei quorum unus est intensior et alter remissior est latitudo media; igitur in specie virtutum est latitudo. Et valeat hoc argumentum quantum valere potest.

Octavo, principaliter arguitur sic: illa quorum quodlibet manet solum per instans non continuantur adinvicem vel faciunt latitudinem adinvicem, aliter instantia continuarentur, quia si mensuratum est continuum etiam mensura adequata est continua; sed omnes gradus forme sunt huiusmodi; igitur etc.; et per consequens nullus motus alterationis est vel potest esse continuus. Consequentia probatur primo, quia motus alterationis componitur ex illis formis vel gradibus discontinuis; secundo, quia si spatium motus non est continuum nec motus est continuus, quia ad unitatem seu continuitatem motus requiritur unitas mobilis et spatii quinto *Physicorum*; hoc idem per Commentatorem patet quinto *Physicorum* commento 35, ubi dicitur quod si motus est unus, necesse est quod natura in qua est motus sit unum numero; et postea dicitur in eodem commento quod necesse est quod in uno motu secundum numerum id in quo est motus sit unum numero³⁶⁰.

359 BURLAEUS 1496, VI, 14ra-b: «Ad septimam rationem naturalem, quando dicitur quod si eadem forma secundum numerum non posset intendi et remitti, tunc quelibet forma esset indivisibilis secundum formam; concedo. Et quando dicitur quod tunc ad nullam formam esset motus secundum formam etc.; dico negando hoc, quia ad hoc quod ad aliquam formam sit motus secundum formam sufficit quod illa forma habeat contrarium resistens, et quod species in qua talis forma habeat latitudinem graduum secundum quam latitudinem possit esse motus continuus; unde ubi est indivisibile secundum formam, et tamen ad ubi est motus per se. Et cum dicitur quod Aristoteles dicit VII *Physicorum* quod ad virtutem non est motus, quia virtus consistit in indivisibili; dico quod secundum quod dicit Aristoteles in eodem septimo virtus sic est indivisibilis quod nulla species virtutis habet latitudinem graduum, et ideo ad unitatem non est motus alterationis, et per consequens nullus motus est ad virtutem».

360 BURLAEUS 1496, V, 11vb: «Iterum, illa quorum quodlibet non manet nisi per unum instans non continuantur adinvicem, sicut nec duo instantia adinvicem continue; ergo si in quolibet instanti temporis mensurantis alterationem sit alia et alia qualitas numero, sequitur quod ille qualitates que acquiruntur mobili in instanti temporis mensurantis motum non erunt continuate ad invicem, et per consequens nullus motus alterationis esset continuus, quia quilibet motus alterationis componeretur ex formis adinvicem discontinuatis. Confirmatur hec ratio sic: motus alterationis non est immediate in forma

Ad hoc respondet quod duplex est motus: quidam de genere passionis, quidam de genere termini ad quem; et tunc ad argumentum concedit quod motus qui est de genere termini ad quem non est continuus sed subito acquiritur; et hoc probat argumentum; sed motus de genere passionis est bene continuus³⁶¹.

Sed ista responsio videtur ficta et habere fundamentum falsum, scilicet quod motus qui est de genere passionis sit realiter distinctus a motu qui est de genere termini ad quem; primo, quia si eadem est mensura motus qui est de genere passionis et motus qui est de genere termini ad quem, igitur si unus illorum non est subitus, nec alter: aliter enim eadem esset mensura adequata mutationis subite et successive. Secundo, sit a motus de genere passionis et b motus de genere termini ad quem, tunc arguitur sic: a et b sunt motus realiter distincti; igitur non repugnat a esse b non existente et e contra; ponatur igitur b esse non existente a, et sequitur quod per tempus durabit mutatio subita, quod includit contradictionem. Et consequentia patet.

Nono, principaliter sequitur: si ignis calefaceret aquam, quod quamlibet caliditatem inductam infinite caliditates, et per consequens infinita individua speciei caliditatis, precessissent. Consequens falsum, et probatur consequentia, quia si in quolibet instanti temporis mensurantis motum est alia et alia caliditas, et quodlibet instans infinita instantia precesserunt, igitur etc.³⁶². Huic

secundum quam fit alteratio tamquam in subiecto vel in fundamento; sed discontinuato subiecto immediato discontinuatur motus; ergo si in quolibet instanti temporis mensurantis motum fit alia et alia qualitas, sequitur quod motus alterationis non erit continuus. Istud confirmatur per Commentatorem quinto *Physicorum* commento 35, qui dicit: si motus est unus numero, necesse est ut illa natura in quam est motus sit una numero, id est individuum demonstratum speciei illius nature; et modicum infra dicit in eodem commento quod necesse est in uno motu secundum numerum ut illud in quo est motus, scilicet materia motus, sit unum numero; hec Commentator. Si ergo in quolibet instanti temporis mensurantis motum alterationis esset alia et alia forma in qua est motus, sequitur quod nulla alteratio esset unus motus numero, quod est falsum secundum Philosophum».

361 BURLAEUS 1496, VI, 14rb: «Et quando dicitur ulterius quod tunc qualitates acquisite per alterationem non continuantur adinvicem; concedo. Et cum infertur secundum hoc nullus motus alterationis esset continuus; dico quod motus alterationis est duplex: quidam de genere passionis et quidam de genere termini ad quem vadit. Motus de genere passionis est continuus, nec componitur ex formis discontinuatis adinvicem: motus enim qui est de genere passionis non componitur ex qualitatibus, quia predicamenta sunt impermixta. Sed motus alterationis qui est de genere termini ad quem non est continuus nec successivus, sed instantaneus».

362 BURLAEUS 1496, V, 11vb-12ra: «Item, si in quolibet instanti temporis mensurantis alteratio-

respondet concedendo consequens et consequentiam, sicut est concedendum. Et hoc etiam habet concedere opinio tenens quod in intensione forme gradus preexistens et qui de novo acquiritur simul manent.

Decimo, principaliter arguitur sic: in transmutatione elementorum habentium simboleitatem, verbi gratia ignis in aerem, manet eadem qualitas numero in generato et corrupto, ut ponit Philosophus secundo *De generatione*, et tamen caliditas aeris est remissior caliditate ignis; igitur eadem qualitas numero est primo intensior, postea remissior³⁶³. Ad hoc ipse respondet quod Aristoteles et Commentator in loco preallegato non volunt quod de facto aliqua qualitas maneat in elementis habentibus symbolum, sed volunt quod ex parte diversitatis elementorum non repugnat ipsa habere in se successive eandem qualitatem numero postquam conveniunt in una qualitate communi³⁶⁴. // c. 19rb //

Undecimo, principaliter arguit sic: sicut est in augmento, ita et in alteratione; sed in augmento non oportet totam quantitatem preexistentem corrumpi; igitur

nem esset alia et alia qualitas, sequitur quod si ignis calefaceret aquam, quod quamcumque caliditatem vel gradum caliditatis inducte in aquam quantumcumque modicam in igne precesserunt infiniti calores secundum naturam, ita quod infinita individua caloris corrupta in igne precesserunt hanc caliditatem inducta in aqua, quod videtur valde inconueniens. Consequentia probatur sic: nam quelibet calefactio mensuratur tempore; et in quolibet tempore sunt infinita instantia; in quolibet instanti calor ignis repatiens est sub alio et alio gradu; et quilibet gradus secundum istam opinionem constituit novum individuum caloris; ergo, cum quemlibet calorem inductum in aquam precesserit calefactio, sequitur quod quemlibet calorem inductum precesserint infinita individua caloris in igne; quod apparet absurdum».

363 BURLAEUS 1496, V, 12ra: «Iterum, secundum Commentatorem secundo *De generatione* in transmutatione elementorum adinvicem manet qualitas simbola eadem numero, verbi gratia: si ex aere fiat ignis vel econverso, eadem caliditas numero est primo in aere et postea in igne, et tamen illa caliditas remissior est in aere quam igne; ergo qualitas manens eadem numero intenditur et remittitur, quod est contra predicta».

364 BURLAEUS 1496, VI, 14va: «Ad decimam rationem naturalem, quando dicitur quod in transmutatione elementorum qualitas simbola manet eadem numero secundum Commentatorem; dicendum quod Philosophus et etiam Commentator sic intelligunt quod in transmutatione elementorum adinvicem non repugnat propter diversitatem elementorum quod eadem qualitas simbola maneat; unde ex quo elementa conveniunt in una qualitate sibi communi non repugnat eis habere eandem qualitatem numero successive. Et hec est intentio Commentatoris cum dicit quod neque eadem qualitas simbola numero, hoc est non repugnat elementis habere eandem qualitatem numero successive. De facto tamen non manet eadem qualitas numero in transmutatione elementorum, et ideo dictum Commentatoris non est verum de virtute sermonis, intellectus vero Commentatoris est verus, ut dictum est».

nec in alteratione³⁶⁵. Huic dicit quod simile est de augmento et de alteratione secundum aliquid, et secundum aliquid est dissimile; primo, simile est quia, sicut non est possibile plures qualitates eiusdem speciei per motum alterationis acquisite esse in eodem subiecto adequate, ita impossibile est plures qualitates per motum augmenti acquisite esse in eodem subiecto adequate. Sed dissimile est quia augmentum fit per additionem quantitatis ad quantitatem priori remanente, et non alteratio; et causa est quia quantitas addita non recipitur in eodem adequate in quo preexistens; ideo non oportet preexistentem corrumpi, cuius oppositum est de qualitate³⁶⁶.

Sed contra: cuiuslibet quod augetur quelibet pars augetur; igitur quantitas precedens et sequens sunt in eodem subiecto adequate. Dicendum est quod si capiatur 'augeri' proprie prout distinguitur contra 'rarefieri', non quelibet pars aucti augetur, quia non quelibet pars materialis, sed solum quelibet pars formalis, ut patet de generatione; si accipiatur 'augeri' pro 'rarefieri', concedo quod possibile est quod alicuius quod augetur vel rarefit quelibet pars augetur vel rarefiat. Et tunc oportet dicere vel quod rarefactio non est motus ad quantitatem sed ad qualitatem, que est raritas, vel quod nihil intrinsece per se de novo producit, sed solum partes que prius erant magis propinque fiunt magis distantes. Et tunc non oportet concedere plures quantitates recipi in eodem subiecto adequate.

365 BURLAEUS 1496, V, 12ra: «Item, sicut est in augmento quantitativo, ita videtur esse in augmento qualitativo; sed in augmento quantitativo in inductione quantitatis subsequenter non corrumpitur tota quantitas precedens, ergo in augmento qualitativo in inductione qualitatis posterioris non corrumpitur tota qualitas precedens».

366 BURLAEUS 1496, VI, 14va: «Ad rationem undecimam naturalem, cum dicitur quod sicut est in augmento quantitativo, ita est in augmento qualitativo; dico quod quantum ad hoc est simile, scilicet quod sicut due quantitates corporee non possunt esse simul adequate in eodem subiecto, ita due qualitates eiusdem speciei non possunt esse simul adequate in eodem subiecto. Sed quantum ad hoc est dissimile: quod augmentum quantitativum fit per accumulationem, scilicet per iuxtapositionem quantitatum, scilicet per positionem quantitatis ad quantitatem; sed augmentum qualitativum non fit per positionem qualitatis iuxta qualitatem, immo in augmento qualitatis totum alteratum acquirit novam qualitatem. Et quando dicitur quod in augmento quantitatis non corrumpitur tota quantitas precedens; concedo. Si tamen toti aucto acquireretur quantitas, oporteret quod tota quantitas precedens corrumperetur, quia augmentatio non est nisi ad quantitatem corpoream, et due quantitates corporee non possunt esse simul in eodem subiecto adequato. Unde breviter augmentum quantitativum fit per accumulationem et augmentum qualitativum fit per totalem informationem, et ideo non est simile de augmento quantitativo et augmento qualitativo».

Duodecimo, arguit principaliter sic: quia sequitur quod alius esset visus in me quam ante hoc fuit; consequens falsum; et probatur consequentia: et pono quod virtus visiva mea fuerit remissa continue usque ad hoc instans; tunc si in intensione <et> in remissione forme est cotidie alia et alia forma, sequitur quod nunc est alia virtus visiva in me quam prius fuerit; sed visiva virtus et visus idem sunt; igitur etc.³⁶⁷ Ad hoc respondetur quod virtus visiva secundum veritatem non est intensibilis nec remissibilis, sed organum virtutis visive bene est intensibile et remissibile secundum suas qualitates quibus mediantibus anima exercet actum suum videndi; et secundum hoc anima aliquando melius et aliquando peius iudicat de obiecto visibili secundum quod dispositio aut qualitates organi sui permutantur ad melius vel peius. Et hoc voluit Philosophus primo *De anima* dicens quod si anima senis poneretur in iuvene, ita perfecte videret sicut in iuvene, dans per hoc intelligere quod anima in se non debilitatur nec fortificatur, sed quod operatur aliquando melius et aliquando peius, et hoc secundum aliam et aliam dispositione ipsius organi³⁶⁸.

367 BURLAEUS 1496, V, 12ra: «Iterum, potentia sensitiva et vegetativa sequuntur subiectum extensum ita quod presupponunt quantitatem tamquam subiectum immediatum receptivum. Si ergo esset alia quantitas numero in iuvene et in sene, ut ponit ista opinio, sequitur quod esset alia potentia sensitiva in iuvene et in sene, scilicet alius visus et sic de aliis sensibus; et confirmatur: nam certum est quod virtutes sensitive intenduntur et remittuntur, nam virtus visiva vigorosior est in iuvene quam in sene, et ita est de aliis sensibus; si ergo forma primo intensa et postea remissa esset alia et alia numero, sequitur quod visus meus esset nunc alius a visu quem habui quando fui puer; quod non videtur verum».

368 BURLAEUS 1496, VI, 14vb: «Ad duodecimam rationem naturalem, cum dicitur quod si esset alia quantitas in iuvene et in sene, tunc esset alia potentia sensitiva in iuvene et in sene; dico quod non sequitur, quia certum est quod alia est quantitas modo in me quam fuit in me in principio vite mee: nam alia materia est modo in me quam tunc fuerit, et quantitas est inseparabilis a materia, et tamen vires sensitive sunt eodem nunc et tunc. Et quando dicitur quod potentia sensitiva presupponit subiectum quantum, dico quod verum est, et anima sensitiva etiam presupponit subiectum quantum, tamen variata quantitate non propter hoc variatur anima sensitiva; et ratio est quia nec anima sensitiva nec potentia sensitiva determinat sibi hanc quantitatem nec illam, sed potest indifferenter esse sub hac quantitate vel sub illa. Et quando ulterius dicitur quod virtus sensitiva, puta visus, intenditur et remittitur, quia aliquando est debilior et aliquando fortior; dico quod virtus sensitiva in se non intenditur nec remittitur nec est aliquando fortior aliquando debilior, sed organum virtutis sensitive intenditur et remittitur secundum qualitates suas, et secundum hoc potest virtus sensitiva in operationem suam aliquando melius et aliquando peius. Et hec est intentio Philosophi primo *De anima* tractatu secundo, ubi dicit quod si senex acciperet oculum iuvenis videret ut iuvenis, ita quod actus sentiendi diversificantur secundum diversitatem qualitatum organi ipsius sensus; organum tamen manet idem secundum substantiam suam, et etiam potentia sensitiva

Tertiodecimo, arguitur principaliter sic: ponatur quod aer huius domus illuminetur satis intenso lumine et superveniat lumen satis remissum, et causet lumen in eodem aere; tunc vel in tali productione luminis remissi corrumpitur lumen intensum preexistens, vel non, sed stat simul cum illo quod de novo producit. Si detur secundum, habetur oppositum opinionis, scilicet quod plures gradus eiusdem forme in specie manent simul in eodem subiecto primo; si detur primum, scilicet quod corrumpitur preexistens, contra: quia ex isto sequitur primo quod si lucidum intensum illuminet medium et superveniat lucidum remissum, quod non intensius sed remissius illuminatur medium. Consequens falsum et contra experientiam; et probatur consequentia: sit lumen intensissimum quod sufficit producere vel minimum quod non sufficit producere lucidum intensum ut sex, et lumen remissi lucidi sit ut duo, et superveniat eidem medio lucidum remissum post intensum remanente intenso; tunc arguitur sic: si preexistens lumen corrumpitur in adventu posterioris, corrumpitur lumen ut sex intensive, et producit lumen precise ut duo, quia lucidum remissum non plus sufficit producere; igitur etc. Ex quo sequitur quod possibile est fieri transitum a gradu ut sex intensive ad gradum intensum ut duo et non per gradus medios, quod est impossibile, quia nullius agentis naturalis processus est cum saltu de extremo ad extremum sine medio. Secundo, principaliter: ex consequente sequitur quod lumen candelae quantumcumque parve sufficit corrumpere lumen solis in medio productum; item, quod si per possibile poneretur candela iuxta corpus solis, statim ipsa corrumpere totum lumen subiective existens in // c. 19va // sole, et sic aliquid perpetuum de sui natura esset corruptibile, quod est contra Philosophum primo *Celi*³⁶⁹. Ad hoc ipse respondet: cum arguitur in casu posito vel corrumpitur preexistens etc., dicit quod lumen preexistens totaliter

manet eadem».

369 BURLAEUS 1496, V, 12ra: «Iterum, ponamus quod domus illuminetur lumine maioris candelae, postea superveniat candela minor; certum est et apparet ad sensum quod ex adventu secunde candelae intenditur lumen in domo. Quero tunc aut lumen maioris candelae precedens remanet aut corrumpitur. Si remanet, habetur propositum; si detur quod lumen maioris candelae precedens corrumpitur, tunc lumen secunde candelae plus corrumpere de lumine quam ipsum posset causare; et sic non intenderetur lumen per adventum secunde candelae, sed magis remitteretur. Et si poneretur quod secunda candela esset equaliter luminosa cum prima, adhuc sequitur secundum istam opinionem quod lumen non intenderetur, quia lumen prime candelae corrumpitur et lumen secunde candelae non potest causare nisi tantum lumen quantum causavit lumen precedens. Similiter si lumen precedens corrumpatur in adventu posterioris, sequitur quod candela illuminata in presentia solis corrumpere lumen solis, quod est valde inconveniens».

corrumpitur et de novo inducitur intensius lumen ab istis duobus lucidis, cuius utrumque illorum lucidorum est partialis et non totalis causa. Et cum arguitur quod in casu illo non intenditur, sed potius remittitur lumen, quia corrumpitur lumen ut sex et lucidum remissum non sufficit producere nisi lumen ut duo; huic dicit quod lucidum remissum non sufficit producere nisi lumen ut duo tanquam totalis causa, sed tanquam partialis infinitum lumen intensive sufficit producere, sicut diceremus quod virtus portativa sortis sit ut duo, sor per se vel ut causa totalis sufficit portare pondus ut duo, sed per accidens seu ut partialis causa infinitum pondus potest portare. Sed hoc est illud quod inferebatur, scilicet quod fieret transitus etc., quia si lucidum remissum approximetur medio quod producat lumen ut duo et ipso et medio quiescentibus approximetur lucidum sufficiens producere lumen ut octo, tunc sequitur quod fit transitus de lumine ut duo ad lumen ut octo et non per gradus medios. Ad hoc ipse habet consequenter respondere quod non potest de novo lucidum approximari medio nisi successive; et ideo, sicut successive approximatur lucidum intensum medio, ita successive intendet lumen a gradu ut duo ad gradum ut octo. Et ad illud quod inferebatur, quod lumen candele quantumcumque remissum sufficit corrumpere lumen solis productum in medio, conceditur consequens et consequentia. Et ad tertium, cum dicebatur quod si lux candele approximaretur corpori solis corrumpere lumen existens subiective in sole, huic posset multipliciter dici: primo, quod lux solis et lumen productum non sunt eiusdem speciei; differunt enim sicut obiectum et species obiecti, cuius species est representativa; unde, sicut color et species coloris specificè differunt, ita lux existens subiective in sole vel in corpore quocumque alio lucido specificè differunt a lumine productum in medio, quod est species representativa ipsius lucis. Et tunc dicitur quod si candela approximetur soli per possibilem, licet in illud produceret lumen, quia tamen illud non esset eiusdem speciei cum luce existente in sole, non est necesse lucem existentem in solem corrumpi³⁷⁰. Sed dices contra:

370 BURLAEUS 1496, VI, 14vb: «Ad rationem decimam tertiam naturalem, quando dicitur: si illuminetur domus lumine maioris candele et postea superveniat candela minor, certum est quod lumen intenditur, et tunc queritur aut corrumpitur lumen precedens aut non; dico quod lumen precedens corrumpitur et lumen intensius generatur a duabus candelis, et utraque candela est causa partialis maioris luminis. Et concedo quod lumen secunde candele plus corrumpit de lumine quam secunda candela de se possit causare; nec ex hoc sequitur quod lumen remittatur, quia lumen sequens non est solum a secunda candela, sed ab ambabus. Eodem modo dico ad alias rationes de lumine et concedo quod

quia lux candele poterit in illo casu producere lucem in sole que est eiusdem speciei cum luce solis, et tunc oportet concedere lucem solis esset de se corruptibilem, quia statim corrumpetur cum produceretur alia eiusdem speciei; dicendum est quod nullum corpus lucidum potest producere lucem in aliud corpus nisi prius alteret illud per caliditatem aut per aliquam aliam vel per aliquas alias qualitates primas. Videmus enim quod ignis nunquam producit ignem in combustibile nisi prius ipsum calefaciat, et secundum hoc dico quod, quia corpus solis non est susceptivum alterationis provenientis a qualitatibus primis vel ab aliqua illarum, ideo candela approximata per possibile corpori solis non poterit in ipsum producere lucem, sed forte bene lumen. Secundo, dicitur aliter quod lux istorum inferiorum, ut flamme, et aliorum astrorum, ut lux solis, non sunt eiusdem speciei; quod patet primo, quia lux solis et aliorum astrorum est incorruptibilis et lux istorum inferiorum est corruptibilis; sed inconveniens «est» aliquid incorruptibile esse eiusdem speciei cum corruptibili; secundo, quia lux illorum inferiorum videtur esse qualitas secunda consequens actionem qualitatum primarum ad invicem: non enim reperitur nisi in corporibus mixtis, quia nullum est elementum simplex cui insit lux, quia non terra, ut patet, nec aer nec aqua nec ignis, quia quodlibet istorum trium est dyaphanus sive transparentis et de natura lucis est terminari visum. Et ad propositum candela approximata soli per possibile non potest in solem producere lucem, quia non potest agere in ipsum per qualitatem aliquam aut per qualitates aliquas de primis; et adhuc si per possibile in ipsum produceret lucem, quia tamen non est eiusdem speciei cum luce solis, non est necesse lucem solis corrumpi propter hoc. Et pro intellectu aliquorum doctorum est sciendum quod differentia est inter lucem et lumen, quia lux est qualitas terminativa visus, sicut patet de luce solis et flamme, sed lumen est species illius lucis representativa, que non est terminativa visus sicut lumen productum in medio non terminat visum, sed representat lucem subjective existentem in lucido, sicut quelibet species naturaliter representat suum proprium obiectum, ex quo sequitur quod omnis lux a quolibet lumine est specie distincta. Et secundum hoc aliter possemus dicere ad il // c. 19vb // lud argumentum cum inferebatur supra quod lumen candele quantumcumque remissum sufficit corrumpere lumen solis in medio productum, quia possumus dicere quod, sicut lux supercelestis et illorum inferiorum sunt specie distincte,

candela illuminata in presentia solis corrumpit lumen solis causando maius lumen».

ita lumen productum in medio a luce solis et aliorum corporum supercelestium differt a lumine producto a luce candele et a luce istorum inferiorum, quia sic se habent species invicem sicut obiecta; et tunc si sol illuminet medium et superveniat candela accensa eidem medio, non propter hoc necesse est lumen solis corrumpi postquam ista non sunt eiusdem speciei.

Sed ista responsio quam ponit, scilicet quod lumen quantumcumque remissum sufficit corrumpere lumen quantumcumque intensum productum in medio, videtur satis sustentabilis secundum modum quem ponit, non tamen videtur vera³⁷¹. Contra quam arguo sic: aliquid est lucidum potentius ad conservandum lumen productum ab ipso in medium quam hoc vel illud signatum sit potens ad corrumpendum; igitur illa responsio non valet. Consequentia nota; antecedens probatur, quia ex opposito sequitur quod quantumcumque remissum lucidum et debile est infinite potentie active vel activitatis. Probatur consequentia: detur a lucidum valde remissum, tunc a lucidum est potentius ad corrumpendum lumen quam aliquod lucidum ad conservandum, ut ponit responsio; sed aliquid est lucidum quod est alicuius potentia ad conservandum lumen in medio, et aliquod quod est in duplo maioris potentie, et sic in infinitum; igitur infinitam virtutem conservativam luminis excedit virtus activa vel activitas a lucidi; sed hoc esse non potest nisi talis virtus sit infinita; ergo etc. Sed forte dices quod virtus conservativa luminis et virtus productiva ipsius et corruptiva alterius non sunt comparabiles. Contra: quia per eandem virtutem suam producit lucidum lumen suum et ipsum conservat, quia per lucem suam; igitur potentia productiva et conservativa sunt comparabiles; sed potentia novi luminis productiva est potentia preexistentis corruptiva; igitur virtus corruptiva et conservativa sunt comparabiles. Sed forte dices quod, licet eadem sit virtus conservativa et corruptiva luminis, ipsa tamen in infinitum est potentior ad corrumpendum quam ad conservandum, sicut dicimus quod, licet activitas et resistentia calidi sit una et eadem res, calidum tamen per eandem virtutem est potentius ad agendum quam resistendum. Contra: ipsa virtus lucidi in infinitum est potentior ad corrumpendum quam conservandum lumen; igitur in infinitum plus sufficit corrumpere quam conservare lumen; et per consequens

371 BURLAEUS 1496, VI, 14vb: «Eodem modo dico ad alias rationes de lumine, et concedo quod candela illuminata in presentia solis corrumpit lumen solis causando maius lumen».

ceteris paribus in infinitum plus corrumpit quam conservet; quod est falsum. Item, non potentius esset ad conservandum lumen suum lucidum valde potens et intensum quam valde debile et remissum.

Valeant ista argumenta quantum valere possunt. Et per ista dicta patet qualiter ipse respondet ad rationes morales quas ipsemet format contra se. Vide in tractatu suo.

Restat nunc adducere aliqua argumenta contra predictam opinionem. Et arguo primo contra secundam conclusionem principalem suam, quia si illa conclusio esset vera, sequitur quod aliqua latitudo qualitatis difformis esset indivisibilis intensive, vel aliquod totum divisibile non esset divisibile in duas medietates, quarum quelibet esset subdupla ad totum (figura). Consequens impossibile pro utraque parte; et consequentia probatur sic: sit a una latitudo caliditatis uniformiter difformis incipiens a gradu ut octo et terminata ad non gradum, et sit b eius medietas intensior incipiens a gradu ut octo in extremo intensiori et terminata ad gradum ut quatuor in extremo remissiori. Tunc arguitur sic: b medietas a latitudinis est aliqua latitudo, vel igitur est divisibilis vel indivisibilis intensive; si dicitur quod divisibilis, capio eius medietatem que sit c et arguo sic: vel c est subduplum ad b vel minus quam subduplum; si dicitur primum, contra: sit prima medietas medietatis remissioris a latitudinis signate in casu posito d, et arguo sic: d latitudo est precise // c. 20ra // subdupla ad b intensive; sed c latitudo est secundum se totam intensior d; igitur c latitudo est minus quam subdupla intensive ad b. Consequentia patet per hoc, quia quandocumque aliquid tertium comparatur ad duo inaequalia, illud ad maius habet proportionem minorem, ad minus maiorem; et prima pars antecedentis probatur sic: d latitudo in casu posito est precise intensa ut tria et b latitudo est precise intensa ut sex, et sex ad tria est proportio dupla; igitur etc. Assumptum declaratur, quia d latitudo in extremo intensiori terminatur ad gradum ut quatuor et in remissiori ad gradum <ut> duo, quia, ut positum est in casu, d est prima medietas medietatis remissioris a latitudinis; cum igitur d latitudo sit uniformiter difformis, sequitur quod ipsa correspondet suo gradui medio qui est ut tria, quia medius inter quatuor et duo est tria; sed b latitudo est uniformiter difformis incipiens a gradu ut octo et terminata ad gradum ut quatuor; igitur per idem b correspondet gradui ut sex qui est medius inter octo et quatuor. Secunda pars antecedentis principalis probatur, scilicet quod c latitudo secundum

se totam est intensior d, quia cuicumque puncto subiecti c correspondet gradus intensior quam alicui puncto subiecti d, ex quo c est pars medietatis inferioris et d remissioris; sed nulli puncto cui correspondet gradus intensior correspondet gradus remissior, ut ponit illa opinio, quia aliter plures gradus qualitatis eiusdem speciei essent in eodem subiecto primo, quod est contra illam opinionem; igitur etc. Si dicatur quod b latitudo est indivisibilis, habetur propositum.

Similiter contra illud arguitur: si conceditur quod a latitudo est composita ex b tanquam ex medietate, et a latitudo in infinitum est divisibilis intensive ut patet; igitur aliquid in infinitum divisibile intensive est compositum ex indivisibili intensive tanquam ex medietate; quod est impossibile. Item, sequitur quod b latitudo subito et non successive esset acquisibilis vel deperdibilis, quod est falsum. Et consequentia tenet de se. Forte diceret aliquis quod istud argumentum ita vadit contra alias opiniones de intensione et remissione qualitatum sicut contra istam, quia secundum omnem opinionem conceditur quod medietas intensior a latitudinis secundum se totam excedit medium gradum totius a. Dicendum quod non est ita; immo secundum opinionem ponentem quod in intensione forme gradus precedens manet cum sequente, habes concedere quod quantumcumque remisso gradu signato immediate remissiori a latitudinis immediate intensiori a est signare gradum remissorem in quacumque proportionem volueris, quia cuicumque subiecto correspondet aliquis gradus, eidem correspondet quilibet remissior illo usque ad non gradum. Et ex hoc patet solutio ad illud commune argumentum quo solet argui quod cuiuslibet latitudinis uniformiter difformis medietas intensior est indivisibilis intensive. Patet etiam ex hoc solutio ad illud argumentum quo solet argui quod quodlibet agens producens latitudinem uniformiter difformem producit tantam latitudinem in partem remotam quantum in propinqua.

Secundo, principaliter arguo contra predictam conclusionem, quia ex illa sequitur quod quilibet motus alterationis est infinite velocitatis; consequens falsum, ut patet; et consequentiam probo sic: quilibet qualitas est in infinitum modice resistentie et quodlibet alterans est alicuius certe virtutis active; sed cuiuslibet virtutis active ad infinite modicam resistentiam est infinita proportio; igitur quodlibet alterans alterat ab infinita proportione, et per consequens infinite velociter, quia cuiuslibet motus facti cum resistentia velocitas insequitur proportionem agentis ad resistentiam. Consequentia nota; et prima pars

antecedentis probatur, scilicet quod quelibet qualitas est infinite modice resistentie, quia quelibet qualitas, si sufficeret per aliquod certum tempus alicui agenti signato resistere, esset alicuius certe resistentie, et si per tempus precise in duplo minus, esset in duplo minoris resistentie; igitur si per nullum tempus posset resistere aut per infinite modicum, precise nullius aut infinite modice esset resistentie; sed quelibet qualitas per nullum tempus sufficit resistere, quia quelibet subito deperditur vel saltem nata est deperdi; igitur etc. Sed forte huic dicitur quod, licet passum per nullum gradum qualitatis que habet vel habebit sufficiat resistere per tempus, tamen per omnes gradus quos habet vel habebit sufficiet resistere per tempus. Sed contra hoc arguitur sic: quia ex omnibus illis gradibus non fiet aliqua latitudo resistentie; igitur non sufficiet per omnes // c. 20rb // illos resistere per tempus. Consequentia patet; et assumptum probatur, quia omnes illi gradus sunt indivisibilis resistentie; igitur duo ipsorum nullam faciunt latitudinem resistentie nec tres, et sic in infinitum; igitur infiniti tales nulli faciunt latitudinem resistentie; sed non plures quam infiniti gradus sunt vel erunt omnes illi gradus; igitur nullam resistentiam facient omnes illi. Et per istam replicationem potest argui contra secundum correlarium principale istius opinionis positum in principio questionis, quod causa intensionis forme est maior vel minor latitudo graduum inter illam formam et non gradum illius forme. Contra: si opinio sit vera, nulla est latitudo graduum inter aliquam formam et non gradum illius forme; igitur illud correlarium falsum et repugnans illi opinioni. Consequentia patet; et antecedens probatur: cuiuslibet forme omnes gradus sunt indivisibiles intensive; sed numquam ex indivisibilibus intensive componitur aliqua latitudo vel distantia gradualis; igitur non ex gradibus talibus forme resultat aliqua latitudo, et per consequens nulla est talis latitudo graduum. Sed forte aliquis concederet quod aliqua distantia sive latitudo gradualis componitur ex indivisibilibus intensive; contra hoc arguo sic: sicut si velis probare quod nullum quantum componitur ex indivisibilibus quantitative, et omnia argumenta que probant illud aut similia probant oppositum huius responsionis. Sed forte ad hec diceret aliquis quod secundum argumentum non arguit contra istam positionem quod omnis alteratio esset infinite velocitatis, quia ordo naturalis causat successionem in alteratione, unde est ordo naturalis inter gradus producendos et corrumpendos, quia gradus qui naturaliter presupponit alium gradum ante se introduci non potest per aliquam

potentiam naturalem simul cum illo produci vel generari. Similiter etiam in gradibus corrumpendis est naturalis ordo, quia naturaliter gradus qui est posterior in productione vel generatione est prior secundum ordinem naturalem in corruptione; et ideo per nullam naturalem potentiam possunt gradus prior et posterior simul corrumpi. Sed contra istam responsionem arguo sic: quia si nihil plus facit ad finitatem velocitatis motus alterationis nisi talis ordo, igitur cum quocumque gradu velocitatis potest salvari talis ordo naturalis tante velocitatis est quilibet motus alterationis; sed cum infinito gradu velocitatis potest salvari talis ordo, quia, cum aliquanto gradu et duplo ad illum, et triplo ad illum potest salvari successio in motu alterationis, et per consequens ordo naturalis inter gradus qui naturaliter debent esse priores vel posteriores in generatione vel corruptione, et sic in infinitum, quia nullus est gradus cum quo non poterit salvari successio talis et talis ordo; igitur infinite velocitatis est quilibet motus alterationis; quod fuit probandum. Si forte diceret aliquis quod non cum quocumque gradu velocitatis potest salvari ordo naturalis, quia ordo naturalis est non solum secundum prius et posterius in generatione graduum, sed etiam secundum debitam mensuram temporis mensurantem generationem et corruptionem graduum secundum prius et posterius, ita quod non solum ad hoc quod servetur ordo naturalis requiritur quod a gradus, verbi gratia, corrumpatur ante b ut producat; sed aliqua est certa mensura temporis que requiritur ad hoc quod salvetur ordo naturalis, scilicet ut per id tempus producat vel corrumpatur a gradus ante b, quod non salvari potest cum quocumque gradu velocitatis, sicut enim augetur velocitas, ita minoratur tempus mensurans illam velocitatem ceteris paribus. Sed contra istam rationem arguo, quia ex illa sequitur quod agens potens et agens debile approximata resistentiis equalibus ceteris paribus precise eque velociter sufficiunt corrumpere suas resistentias et eque velociter producere suos effectus. Consequens falsum, ut notum est; et probatur consequentia sic: sit a maximus gradus velocitatis cum quo non potest salvari ordo naturalis vel minimus cum quo sic; et arguo sic: usque ad istum gradum velocitatis potest agens debile velocitare suum motum et non ultra; et similiter agens potens, igitur non maiori gradu sufficit alterare agens potens quam agens debile idem passum etc.

Explicit prima pars.